

ANGERIANO (Girolamo)

EROTOPAEGNION (1866 vers)

Le texte que nous donnons ici a pour base la version numérisée de l'édition de A.M. Wilson (1995), corrigée à partir de l'édition de 1512 par F. di Giunta, à Florence, dont un fac-similé est disponible sur le site *Gallica* de la BNF.

## LIBELLUS AD LECTOREM

E\_1 v.1 Doctrinam si forte cupis, si forte lepores  
 2 Pierios, domini ne lege scripta mei.  
 3 Dum nimis igne calet, solum describit inertes  
 4 curas, et quanta est Caelia, quantus Amor.

AD IOANNEM IACOBUM CASTILEONAEUM,  
 MEDIOLANENSEM, PATRICIUM, BARI ARCHIEPISCOPUM

E\_2 v.1 Munera si nequeo tibi mittere magna, libellum  
 2 hunc parvum et nugas, ut queo, mitto meas.  
 3 At si laudanda completur voce libellus  
 4 hic parvus, dignum et nobile munus erit.  
 5 Deficiunt vestes, argentum, et iaspis, et aurum,  
 6 sed non quae docta carmina scripta manu.  
 7 Sit quodcumque tamen quod trado, suscipe ; saepe  
 8 vilibus ornatur frondibus ara deum.  
 9 [Suscipe, cor trado, et mentem cum corde, meumque  
 10 <aeque> trado animum : hic picta figura mei.]  
 11 Castileonaeos inter venerandus honores  
 12 primus es, et patriae gloria prima tuae,  
 13 et majora meres, nosco. Si cernis amorem  
 14 ipse meum, magni pignus amoris habes.

Ce distique, dont le pentamètre est faux, ne figure pas dans l'édition de 1512.

## AD CUPIDINEM

E\_3 v.1 Omnia Pan vincit. Vicisti Pana, Cupido.  
 2 Vincar ego ? Quid agam ? Pan tibi cedit. Amem.

## DE SEIPSO

E\_4 v.1 Aonium, ut fierem vates, haurire liquorem  
 2 optabam, et lauri nectere fronde caput.  
 3 Accessi ad fontes. Vidit me Phoebus ab alto

4 culmine. "Quae poscis dona negantur," ait.  
 5 Ejectus, flevi. Tandem, miserata labores,  
 6 alma Venus, "Paphias i bibe," dixit, "aguas."  
 7 accessi, et sitiens absorpsi mixta venenis  
 8 pocula, et ignifero mersus in amne fui.  
 9 Nunc haec poena mihi, nam dicere cogor amores,  
 10 non carmen, fati cantor et esse mei.

#### DE CAELIA ET AMORE

E\_5 v.1 Lassatus cursu et quaerens requiescere, pulchrae  
 2 virginis in gremium candidus ibat Amor.  
 3 Illa excandescit tamquam Notus imbribus actus,  
 4 tamquam in vesano nigra procella mari.  
 5 Excutit hunc totis manibus, proclamat, et obstat  
 6 pollueret castos ne sibi flamma sinus.  
 7 "Cur ita trudor ? " ait deus. Admiratur. At illa,  
 8 illa inquit, "Non sum Caelia nota tibi ? "  
 9 Ut pede qui pressit colubrum, post horret abitque,  
 10 sic miser audito hoc nomine fugit Amor ;  
 11 et fugiens dixit, "Fugienti parce ! Parentem  
 12 credideram, non te. Tu mihi visa parens."

#### AD CAELIAM

E\_6 v.1 Non ego turbati crescentia nubila caeli,  
 2 non vereor fluctus, atra procella, tuos,  
 3 non mare cum saevit ventis, non grandinis ictus,  
 4 non dura imperio fulmina missa Jovis,  
 5 non pestes morbosque graves, non plena cicutis  
 6 pocula, non colubri dira venena trucis,  
 7 non subitos terrae motus, non horrida Martis  
 8 proelia, non casus, sors male fida, tuos,  
 9 non rapidos ignes, non Mortis tela recurva,  
 10 non Styga, non terno qui vorat ore canem.  
 11 Nil haec. At solum vereor te, Caelia ; solum  
 12 tu potis et vitam et tradere fata mihi.

#### DE SUA EFFIGIE

E\_7 v.1 Vera mei effigies haec vultus. Deficit una  
 2 vita hic. Cum picta est, non ego vivus eram.

#### DE FORMA ET SAPIENTIA DIALOGUS

E\_8 v.1 Forma quid est ? Decor almus, vivax gratia, gratus  
 2 per justa admixtus membra colore favor.  
 3 Quae soror huic ? Soror huic felix Sapiencia, at illa,  
 4 illa animum, haec oculos conspicienda rapit.  
 5 Quae formosa magis ? Magis haec formosa, magisque  
 6 allicit ; illato lumine cuncta beat.  
 7 Sed cur hanc sequimur, jacet altera pressa, siletque ?

8 Non mirum : placida haec et levis, illa riget.  
 9 Haec grato et dulci procedit et ore nitenti,  
 10 illa incompositis stat pudibunda comis.  
 11 Haec quare inflammat ? Vivos quia visa per artus  
 12 influit, et radiis cor bibit ipsa suis.  
 13 In pretio quae stat ? Fulvo haec pretiosior auro.  
 14 Hanc quis non magnum numen habere videt ?  
 15 Cur haec, ferventi ceu flos aestate fatiscens,  
 16 praefertur ? Nitet haec, haec nitet, illa latet.  
 17 Hoc quod cernit amat quisquam, miratur et illud.  
 18 Hinc veniunt chartis quae modo texo meis.  
 19 Quid tunc Pallas erat, vis et Junonia, malum  
 20 cum tulit a pulchro iudice laeta Venus ?  
 21 Quid ni Forma fuit, per quam tot funera Troes  
 22 acciperent, per quam Graecia maesta foret ?  
 23 Hyperides sileat, potuit sua pectora Phryne  
 24 denudans rigidi flectere jura fori.  
 25 Et Gorgo attonitos in marmora vertit amantes,  
 26 vicit et attonitos Hippodamia duces.  
 27 Non mirum, ergo, meos si Caelia flexit ocellos :  
 28 digna est illa homines, digna movere deos.

## DE CAELIA

E\_9 v.1 Sunt geminae Veneres, Musae bis quinque, Dianae  
 2 et geminae, pulchrae quattuor et Charites.  
 3 Omnibus in rebus Venus est mea Caelia, Musa  
 4 docta, Diana nitens, et sine labe Charis.

## DE CAELIA ET AMORE

E\_10 v.1 Caelia fatur, Amor fatur. Sua lumina pandit  
 2 Caelia, purpureus lumina pandit Amor.  
 3 Caelia dormit, Amor dormit. Stat Caelia sola,  
 4 solus Amor. Ridet Caelia, ridet Amor.  
 5 Caelia plaudit, Amor plaudit. Dat Caelia cantus,  
 6 cantat Amor. Plorat Caelia, plorat Amor.  
 7 Caelia plectra manu tractat, sua plectra decorus  
 8 tractat Amor. Vadit Caelia, vadit Amor.  
 9 Quodcumque illa facit, facit hic. Tamen ordine in uno  
 10 hoc variant : saeva est Caelia, mitis Amor.

## AD ROSAM

E\_11 v.1 Pulchra brevi duras rosa tempore, forma brevique  
 2 tempore. Sic formae par, rosa, tempus habes.

## AD CAELIAM

E\_12 v.1 Cernentes superi, qualis non amplius umquam  
 2 visa fuit, formam, diva puella, tuam,  
 3 illorum unus ait, "cur olim maximus arsit,

4 nunc friget, tanto nec calet igne, deus ?  
 5 Europae et Danaes et Ladae vicit honorem,  
 6 et nihil hoc tanto fulget in orbe magis."  
 7 Dixit Amor, "Verum ; sed prisco tempore nulla  
 8 virgo fuit dura. Haec dura, superba, ferox."

## AD CAELIAM

E\_13 v.1 Attollis caelo si lumina, sidera gaudent ;  
 2 si terrae affigis lumina, terra calet.  
 3 Fronte Venus fulget, si claudis lumina ; nudus,  
 4 lumina si pandis, cum face saevit Amor.  
 5 Lumina si celas, maeret sine sidere caelum,  
 6 terra calore, Venus fronte, Cupido face.

## DE SEIPSO DIALOGUS

E\_14 v.1 Quid quaeris ? Quo tendis, iners ? Quo vota feruntur ?  
 2 Dic, cupis auratos forsitan habere lares ?  
 3 Hoc alii poscant. Vis culti jugera campi  
 4 an regum solium ? pontificumque toros ?  
 5 Infelix quicumque cupit, quodcumque sub undis  
 6 Hermus habet teneam, quae mihi tuta quies ?  
 7 Irus inops essem, quamvis immensa tenerem  
 8 imperia aut gazas, Croese superbe, tuas.  
 9 Nudus in has veni terras, et nudus abibo ;  
 10 hinc mea sollicito vita labore caret.  
 11 Hinc pello curas, et laetam duco juventam ;  
 12 hinc sperno quicquid dives avarus habet.  
 13 Nil ergo exoptas ? Exopto ut diligat illa  
 14 me totum et dulci simus uterque toro.

## DE CAELIA

E\_15 v.1 Stabat Amor, stabat mea Caelia, uterque favillas  
 2 in me vertebant, hic face et illa oculis.  
 3 Victus eram, victus, cum fallax ore rubenti  
 4 dixit Amor, "Jaculis da tua corda meis,  
 5 te te redde mihi." Dixi, "Me reddo puellae,  
 6 non tibi ; tu saeva cuspide regna tenes.  
 7 Illa meis ornet spoliis sua templa, gravique  
 8 illius ante pedes compede vinctus eam."  
 9 Haec simul ut fudi trepidanti pectore verba,  
 10 alligor, atque libens do mea colla jugo.  
 11 Quis credet fronti ? Visa est tunc mitis, at illa,  
 12 illa magis feta tigride saeva fuit.

## AMOR MARMOREUS

E\_16 v.1 Quid spectatis ? Amor sum saxeus, armaque fictus  
 2 ficta gero. Vivens Caelia verus Amor.

## AD CAELIAM

E\_17 v.1 Ut grex porcorum morti servamur, et hora  
 2 crastina quid tradet dicere nemo potest.  
 3 Hoc cuicumque notum cum sit, vivamus, et omnis  
 4 apposito fugiat cura dolorque mero.  
 5 Res alias fortuna negat ? Fortuna beatum  
 6 me faciet, si tu, Caelia diva, voles.

## AD EANDEM

E\_18 v.1 Caelia, cui tantum tribuit Natura Polusque,  
 2 sit minor ingenio ut femina virque tuo ;  
 3 Caelia, formosis forma praestante deabus,  
 4 moribus et priscis anteferenda viris ;  
 5 Caelia, Pierias inter veneranda sorores  
 6 arte tua et dulci verba sonante lyra ;  
 7 omnia sub caelo quae sunt, tibi, Caelia, cedunt  
 8 ingenio, forma, moribus, arte, lyra.

## DE STATUA EIUSDEM

E\_19 v.1 Dum niveo ducit raram de marmore formam  
 2 sculptor, et eximiae perficit artis opus,  
 3 "Vera haec effigies ? " quidam inquit, "Et illius hic stat  
 4 flatilis in venis spiritus ? Ora movet ?  
 5 Haec ferit, illa ferit ; surdis haec auribus, illa  
 6 auribus et surdis ; haec riget, illa riget ;  
 7 haec alba, illa alba ; haec magis est crudelis, et illa  
 8 crudelis magis est ; haec silet, illa silet.  
 9 Haec glacialis hiems friget, glacialis et illa  
 10 friget hiems, lapis haec sculptus, et illa lapis.  
 11 Sed non aequales sunt una parte, quod illa,  
 12 illa magis vento mobilis, haec stabilis."

## DE CAELIA ET AMORE

E\_20 v.1 Ibat venatum in silvas telumque gerebat  
 2 Caelia, et alipedi maxima stabat equo.  
 3 Obvius it volucris puer illi, telaque vibrans,  
 4 "Certemus," fatur, "dum geris arma, simul."  
 5 Caelia sed, tenerum ridens, ait, "Arma gerentem,  
 6 stulte, petis non te vici ego inermis ? Abi."

## DE CAELIA

E\_21 v.1 Cum Venerem aspicerem sine flammis, "Accipe," dixi,  
 2 "de nostro flammam corpore." At illa mihi,  
 3 "Sunt versa in cinerem tua pectora. Si volo flammam,  
 4 dat flammam ex oculis Caelia, et uro deos."

## AD CAELIAM

E\_22 v.1 Quid mihi, barbaricae si miscent proelia turmae,  
 2 maeret et ereptis Ausonis ora bonis ?  
 3 Quid mihi si dira descendunt grandine nimbi,  
 4 ustulat et cultos Sirius acer agros ?  
 5 Quid mihi si pereunt homines, armenta gregesque,  
 6 insidet et siccis faucibus atra fames ?  
 7 Quid mihi si regnant reges, laudantur et ipsi,  
 8 vendit et elatos purpura lata duces ?  
 9 Quid mihi si totus cum terra corrui aether,  
 10 sorbet et erectas mobilis unda domus ?  
 11 Haec mihi cura : rosis et cingere tempora myrto,  
 12 et curas multo dilapidare mero.  
 13 Haec mihi cura : comas et barbam tingere suco  
 14 Assyrio, et dulces continuare jocos.  
 15 Haec mihi cura : dies albo numerare lapillo,  
 16 lassaque composito membra fovere toro.  
 17 Haec mihi cura : novem cantu celebrare sorores,  
 18 dulciter et curvae plectra movere lyrae.  
 19 Haec mihi cura : tuas tibi semper dicere laudes,  
 20 o diva, et vultus semper amare tuos.

## AD CUPIDINEM

E\_23 v.1 Es deus, ambobus si aequales dirigis arcus ;  
 2 non deus es, solum pars mea vulnus habet.

## DE CAELIA

E\_24 v.1 Publica cum fierent spectacula, tela protervus  
 2 exercebat Amor, et Venus alma faces.  
 3 Diversae hic voces, diversa hic lumina, at una,  
 4 una est ut celebri visa puella choro.  
 5 Omnibus una fuit vox, et fuit omnibus unum  
 6 lumen. Cum matre est factus inermis Amor.

## DE LIBELLI QUERELA

E\_25 v.1 Quae te dira premit toties et vexat Erinys ?  
 2 Nonne pudet quae sunt ore tacenda loqui ?  
 3 Vera putat populus, nam stultos esse poetas  
 4 inquit. Ego testis sum modo : stulta facis.  
 5 Et scribis, deles, et deles, scribis ; et illa  
 6 quae servas non sunt carmina digna legi.  
 7 Nescis quicquid agis, nescis. Sic labitur aevum,  
 8 sic manet in nullo mens tua firma gradu.  
 9 Jure queror, ferior cultro, feriorque lituris,  
 10 et patior calamo vulnera mille tuo.  
 11 Non curas (video) quid sit dementia, sed te  
 12 delectat praeceptis et sine mente furor.  
 13 Hoc solum doleo : claras si mittar in auras,

14           quid dicam, si quis tam mala verba leget ?  
 15       Non meus hic error. Clara tua voce fatebor  
 16           crimina, nam venient in caput illa tuum.  
 17       Clamabo in triviis, "Vellem nunc posse placere ;  
 18           o nequeo, insanus talia scripsit amans ! "

DE CAELIA, APE ET AMORE

E\_26    v.1       Lassa quiescebat prope murmura fontis amoeni  
           2        Caelia, ubi vario flore nitebat humus.  
           3        Mellificans it apes, et, circum roscida labra  
           4        dum volat, in terram, saepe repulsa, cadit.  
           5        Jam moritur, sed ait moriens, "Flos qualis in arvis  
           6        nascitur ! Ex flore hoc quam mihi dulce mori ! "  
           7        Haec ut dixit, Amor tumulum de caespite fecit,  
           8        atque illi tumulo haec carmina pauca dedit :  
           9        "Ambiguum est, an apes sit dulci mortua labro,  
           10        an dulci flatu. Mortua utroque fuit."

AD CAELIAM

E\_27    v.1       In crine accendens Amor est intextus, amoenis  
           2        enitet in labris fronteque dulcis Amor.  
           3        In pulchris stat Amor manibus, stat pectore in albo ;  
           4        cum cantas, doctis cantibus exit Amor.  
           5        Agglomeratur Amor pedibus, cum vadis ; ubique,  
           6        ut servus dominam, te comitatur Amor.  
           7        Non unum ergo tenes, sed mille in corpore Amores.  
           8        Quicquid habes Amor est, o dea, quicquid agis.

DE CAELIA

E\_28    v.1       Fulgida cum legeret Cumano in litore conchas  
           2        Caelia, "Fallor, an haec Cypria ? " dixit Amor.  
           3        "Non fallor. Sic pulchra nitet mea mater, et alba  
           4        sic flavas ornat spuma politque comas.  
           5        Sic ridet quaeritque jocos, sic pictus eburno  
           6        cestus adest collo, sic movet arte manus.  
           7        Fallor iners : haec pulchra magis. Non fallor : euntes  
           8        tres video ancillas ; autumo, sunt Charites.  
           9        Assistit scopulis, et paeto lumine, paeto  
           10        lumine commotas en ! maris aequat aquas.  
           11        Heu ! fallor. Non illa cremat sic ore, rigentes  
           12        diva sed haec cautes et cremat ore fretum."

DE CAELIA

E\_29    v.1       Ne peream, avertis tua limina. Falleris, illis  
           2        vivo magis. Perimunt lumina ? Sic peream.

## DE VENERE ET CUPIDINE

E\_30 v.1 In fulva dum pulchra Venus spatiatum arena,  
 2 et pelagi spectat maxima regna sui,  
 3 venit Amor sumpsitque faces. Fax, missa per auras,  
 4 ussit Acidaliae mollia corda deae.  
 5 Novit ut illa sui rutilantia spicula nati,  
 6 vociferat, "Quid me, nate proterve, cremas ? "  
 7 palluit audito matris clamore Cupido,  
 8 palluit, utque silex obriguere comae.  
 9 Flens tandem dixit, "Non est tibi Caelia dispar ;  
 10 hanc volui, non te (parce !), ferire deam."

## DE CAELIAE PICTURA

E\_31 v.1 Aspiciens pictam in tabula se Caelia, "Sollers  
 2 pictor ubi nudam me modo vidit ? " ait.  
 3 Inquam ego, "Non nudam vidit te pictor. Amantis  
 4 hic anima ; hoc anima vivit amantis opus."

## DE SEIPSO ET CORDE DIALOGUS

E\_32 v.1 Quid, cor iners, agis hic ? Ploro. Cur deseris illam  
 2 sic plorans ? Nequeo frigora tanta pati.  
 3 Unde hoc frigus habes ? Nix illo in pectore, durum  
 4 atque gelu. Membris restituare meis.  
 5 Tu pejor domina. Nolo. Fervoribus ardes.  
 6 Urerer : in membris stat gravis Aetna tuis.  
 7 Verum, sed, si corde vaco, dilabar in umbras  
 8 mortis, et in tenebris me teget atra dies.  
 9 Jam pridem ipse peris. Cum te mea liquit inanem  
 10 gratia, tunc mota ex corpore vita fuit.  
 11 Nunc nisi parvus ades pulvis, nisi somnus et umbra,  
 12 et, quamvis vadas tu pede, luce cares.  
 13 Jungare o calidis his fibris ; forsitan auram  
 14 vitalem accipiam. Me quoque parca premit.  
 15 Non possum ; sed erit qui nos curabit et urnam  
 16 tradet, et haec cernet verba viator ibi :  
 17 quos nequii vivos simul addere vita, sepulcrum  
 18 addit. Obit nive cor, sed face cordis erus.

## DE CAELIA

E\_33 v.1 In me cum rueret, facibus praecinctus et arcu,  
 2 fortis Amor, dixi, "Sum sine corde. Vale.  
 3 Non possum exstingui : tota est mea vita sub illa,  
 4 illa ferox animum sustulit, illa tenet."  
 5 Convolat iratus, sed pulchra ut lumina vidit,  
 6 "Hoc tibi habe sceptrum, Caelia ; vincor," ait.



## DE SPE

E\_34 v.1 Ludificat vitam spes longa, nec exhibet ulli  
2 quicquam homini. Ut speres mors inopina vetat.

## AD CAELIAM

E\_35 v.1 Vivebam, nunc dispereo ; qui spiritus artus  
2 rexerat hos, sedes incolit ille alias.  
3 Si vis in terris ut vivam, redde mihi illum ;  
4 aut, si non illum, redde tuam, oro, animam.  
5 Sic mihi me reddes, sic te tibi, Caelia, reddes ;  
6 ambo sic parili juncti in amore erimus.  
7 At si dura manes, nec gaudes, perdis utrumque,  
8 me, quia amo nimium, te, quia amas nihilum ;  
9 et, quanto est odiis amor excellentior, ipsa  
10 tanto interfecto crimen amante facis.

## DE VENERE ET CUPIDINE

E\_36 v.1 Omne olim caelum (ut fertur), caelum omne ruebat,  
2 inter se superi dum fera bella gerunt.  
3 Fortis erat Bromius thyrso, Mars ense, tridente  
4 Neptunus, fortis fulmine dextra Jovis.  
5 At cum visus Amor fuit in fulgentibus armis,  
6 necnon accensa lampade pulchra Venus,  
7 privatur thyrso Bromius, Mars ense, tridente  
8 Neptunus, fortis fulmine dextra Jovis.

## AD IMAGINEM SUAM

E\_37 v.1 Quis mihi te similem sic fecit, dulcis imago ?  
2 Quam vere vultus exprimis ipsa meos !  
3 Tu palles, me pallor habet, tu lumine caeco,  
4 caecus ego ; nulla heu ! mens tibi, nulla mihi.  
5 Vita tuos artus, et nostros vita reliquit ;  
6 muta taces, muta est haec mea lingua, tacet.  
7 Tu sine corde manes, maneo sine corde ; moraris  
8 hic sola, hic solus nocte dieque moror.  
9 Membra geris tenui et fragili contexta papyro,  
10 in tenui et fragili cortice figur inops.  
11 Nil nisi vana mei tu corporis umbra vel aura,  
12 corporibus par est umbra vel aura meis.  
13 Non multo duras tu tempore, tempore multo  
14 non duro ; fies tu cinis, ipse cinis.  
15 Ambo pares, at laeta magis tu degis : amorem  
16 non sentis, miserum me facit asper amor.

## AD CAELIAM

E\_38 v.1 Numen habet Pallas virtute, et robore Juno,  
2 Diana et casto corde, decore Venus.

3 Cur, virtute nitens et robore cordeque casto  
4 atque decore, cares numine ? Saeva manes.

DE SEIPSO ET ANU DIALOGUS

E\_39 v.1 Consule quid faciam. Flammis exuror, et illa,  
2 illaque stat duro marmore dura magis.  
3 Consulo. Funde preces, sis illi blandus ubique.  
4 Fundo preces illi blandior : usque fugit.  
5 Tange chelyn digitis, et nervis dulcia nocte  
6 carmina. Nil prosunt carmina, nilque chelys.  
7 Te mitem ostendas, gemitus exprome tuosque  
8 fletus. His gaudet saepe Cupido malis.  
9 Me mitem ostendo, gemitus ex pectore promo,  
10 sunt fletus fluvii lumina ; spernor amans.  
11 Mille potens aurum. Sum pauper, pauper et auro  
12 frangitur ; haec regum munera dives habet,  
13 tum magnum jejuna fames delebit amorem.  
14 Nulla fames. Tempus. Tempore major erit.  
15 Si non ista juvant, laqueo da colla. Moraris  
16 quid, miser ? Haec flammis sola medela tuis.

AD CAELIAM

E\_40 v.1 Saevis (nosco), nocens ; at quantum saeva nocensque  
2 me pellis, tantum pulchra et honesta trahis.

DE CAELIAE DURITIE

E\_41 v.1 Sunt duri scopuli, sunt dura et marmora, durum  
2 et ferrum ; in summis robora dura jugis.  
3 Sunt durae rupes, sunt antra et cornua dura,  
4 atque adamas durus ; durum hiemale gelu.  
5 Durior at scopulis mea Caelia, marmore, ferro,  
6 robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

DE SEIPSO ET CUPIDINE DIALOGUS

E\_42 v.1 Quid nunc, blande puer, cessas et frigore torpes ?  
2 Suscipe de pharetris aurea dona tuis.  
3 Quid "blandus" vocitor, si frigans torpeo ? Et aurum  
4 quid petis a misero ? Corpora nuda vides.  
5 Dum sedet in molli prato et desiderat auram,  
6 saepe movens flabrum, Caelia, mitte faces.  
7 Non utor facibus : periit mea gloria. Quondam  
8 dives eram, sed nunc (aspice !) pauper amo.  
9 Quae te res inopem, quae te res fecit inermem ?  
10 Quae tenet in nivea flabra decora manu.  
11 Quid video infelix ? Quid sentio ? Turbor et angor  
12 et miror. Tantum cur patrat una scelus ?  
13 Ne mirere : oculis, oculis valet una decoris,  
14 alliget ut cuivis fortia colla deo.  
15 Expertus loquor haec : haerent conversa medullis

16 arma meis, illi cum jacit arma manus.  
 17 Quare age, non nudo flammam aut quaere sagittas.  
 18 Illa, illa imperium et numen Amoris habet.

## DE CAELIAE FURTO

E\_43 v.1 Cum dormiret Amor, rapuit clam pulchra pharetram  
 2 Caelia. Surrepta flevit Amor pharetra.  
 3 "Noli," Cypris ait, "sic flere, Cupido : pharetram  
 4 pulchra tibi rapuit Caelia ; restituet.  
 5 Non opus est illi calamis, non ignibus ; urit  
 6 voce, manu, gressu, pectore, fronte, oculis."

## DE SEIPSO ET PICTORE DIALOGUS

E\_44 v.1 Quid pingis, pictor ? Volucrem non cernis Amorem ?  
 2 Hic Amor ? Hoc nullus major in orbe deus !  
 3 Falleris ; ardentem tua spongia delet ignem,  
 4 delet et pharetram. Quid nisi monstra facis ?  
 5 Non opus est arcu, non armis ; corpora parva  
 6 non habet hic, nec habet tela facesque manu.  
 7 Non sic nudus abis, niveas neque commovet alas ;  
 8 non stat sic alacri flammeus ore color.  
 9 Quo pacto est, dicas, pingendum numen amoris ?  
 10 Nuda hic pingatur Caelia, pictus erit.

## AD CAELIAM

E\_45 v.1 Nunc reliquam degis vitam. Quae vita recessit  
 2 desinit esse. Hodie quae viget, illa tua.

## AD CAELIAM

E\_46 v.1 Dum cernit nitida sese Narcissus in unda  
 2 et perit, in florem labitur omne decus.  
 3 Saepe illum in pratis pueri et legere puellae,  
 4 textentes pexis florida sarta comis.  
 5 Dum pressat disci moles onerosa Hyacinthum,  
 6 quaesitus Phoebus flos tener haesit humo.  
 7 Ille etiam, rabies apri quem dira furentis  
 8 pressit, Acidalium per nemus omne rubet.  
 9 Tu, quia nec flammam nosti neque dulcis amoris  
 10 praemia, eris duro in marmore dura silex.

## DE SEIPSO ET FORTUNA DIALOGUS

E\_47 v.1 Quae tu ? Dic. Fortuna vocor. Cur femina ? Quod sim  
 2 mobilis et fallax, et sine lege fluam.  
 3 Luce cares ? Cum dona fero, nil cerno. Globoso  
 4 stas saxo ? Quam sint lubrica dona patet.  
 5 At manus haec virgam gestat, manus altera cornu.

6 Virga haec imperium monstrat, et illud opes.  
 7 Hoc mirum certe : cum sis regina, ferasque  
 8 fortunas aliis, tu tibi nuda manes.  
 9 Ne mirere : aliis cum largiar omnia, privor,  
 10 et patior casus saepe coacta meos.

## AD CAELIAM

E\_48 v.1 Quid facit argentum pretiosa in veste, vel aurum,  
 2 aut color ? Ut corpus contegat illa datur.  
 3 Ex ebore albenti quid sponda, aut fulcra, quid ipsa  
 4 stragula picta, struit si levis herba torum ?  
 5 Num, nisi priscorum historiis variata nitebunt  
 6 aulaea, infundet non sua dona sopor ?  
 7 Ampla quid ex auro rutilant laquearia, et ampla  
 8 quid sub Mygdonio marmore nixa domus ?  
 9 Si non haec picei depellunt nubila caeli,  
 10 nec sedant curas, non satis ima teges ?  
 11 Ipse, sibi qui pondus iners, fulgente vehatur  
 12 lectica, aut acri conspiciendus equo.  
 13 Quid meus acer equus, mea quid lectica refulgens,  
 14 si possum pedibus me modo ferre meis ?  
 15 Quid quaesitae epulae ? Facili saturabitur esca  
 16 venter edax, quantum nunc gula saevit atrox.  
 17 Haec facit aequorea ut pisces capiantur in unda.  
 18 Utque cadat duro vulnere fossus aper.  
 19 Ambitio infelix, permixta cupidine, quae non  
 20 cogit inassueto ferre labore mala ?  
 21 Felices quos turba putat, non credo. Sepulcra  
 22 sunt illi, haec intus turpia, pulchra foris.  
 23 Exiguum non munus adest, quod vivo, polumque  
 24 quod specto. Hoc ipso munere dives amo.

## DE AMORE

E\_49 v.1 Numina cur tot habes, genus o mortale, deorum ?  
 2 Est Amor in cunctis rebus ubique deus.  
 3 Mars hic bella gerens, terras Vulcanus adurens,  
 4 Juppiter impellens fulmina, Solque die,  
 5 Nocte soror Solis, curas ex pectore pellens  
 6 Bacchus, et Alcides, cum fera monstra domat,  
 7 cum risus blandosque jocos blandosque lepores  
 8 affert et miscet gaudia, pulchra Venus,  
 9 Hermes, cum flectit mentes sermone, quietat  
 10 cum freta, Neptunus. Sic deus unus Amor.

## AD CAELIAM

E\_50 v.1 Me spectas oculis lasciva jocantibus, inde  
 2 effugis, et rabida tigride pejor ades.  
 3 Cum te credo meis manibus retinere, fugaci  
 4 plus cerva curris, cum timet ora canum.  
 5 Si laeta accedis, placida atque benigna parumper,

6           quam mihi post multo tempore saeva manes !  
 7       Quicumque aspectat tam rarae praemia formae,  
 8           inter honoratas diceris esse deas ;  
 9       numina sed laedis tua, cum sis impia nobis,  
 10           vana, fugax, fallax, horrida, dura, levis.

## DE CAELIAE DOTIBUS

E\_51    v.1       Tres quondam nudas vidit Priameius heros  
           2           luce deas. Video tres quoque luce deas  
           3       hoc majus, tres uno in corpore : Caelia ridens  
           4           est Venus, incedens Juno, Minerva loquens.

## DE CAELIAE VULNERE

E\_52    v.1       Caelia dum fulgens per florea rura vagatur,  
           2           saeva manum illius saeva momordit apes.  
           3       "Unde has," inquit, "habet volucris tam parva sagittas,  
           4           illato ut tumeat vulnere nostra manus ? "  
           5       Tunc respondit Amor, "Sum parvus et ipse, tenerque,  
           6           et jaculis quae stant mollio saxa meis.  
           7       Tu, paulo major, quid non facis ? Ore pusillo  
           8           atque oculis montes et maris uris aquas."

## AD CAELIAM

E\_53    v.1       Si nimis intueor te, Caelia, parce. Loquuntur  
           2           quas patior poenas lumina ; lingua nequit.

## DE QUERIMONIA SUA

E\_54    v.1       Dum canerem et crebris nequicquam questibus auras  
           2           implerem, incusans terque quaterque deos,  
           3       ex homine in querulam di me vertere cicadam.  
           4           Hinc queror, et voces ob mea damna fluunt.  
           5       Haec medicina mihi, veniet cum frigidus imber  
           6           et moriar stulto in carmine finis erit.  
           7       Mentior : hibernus me quamvis opprimat imber,  
           8           atque cadam, attrito corpore plura querar.

## DE CAELIAE PICTURA

E\_55    v.1       Parthenopen cum laeta suam Venus advenit, atque  
           2           vadit olorinis conspicienda rotis,  
           3       gaudet odoriferis hortis gaudetque Vesevo,  
           4           quem colit intonsus Bacchus et alma Ceres.  
           5       Et modo Sebethi miratur fluminis undas,  
           6           et modo vernantis litora grata maris.  
           7       Mirum laudat opus praeclarae molis, et ipsa  
           8           alta ducum et regum culmina cuncta probat.  
           9       Praeterea videt in tabula te, Caelia, pictam.

10 Miratur. Veneri tunc Charis una refert,  
 11 "Quid si non pictos sed vivos videris artus,  
 12 quantaque sit formae gratia, quantus honos ?  
 13 Dixeris, humanas praestat virtute puellas ;  
 14 dixeris, aethereas praestat honore deas."  
 15 admirans sine labe novam Venus alma tabellam,  
 16 telluri et figens lumina et ore rubens,  
 17 dixit, "Ego nollem tantae certamina formae,  
 18 non si sub Phrygio iudice causa foret."

## DE CAELIAE ROSA

E\_56 v.1 Puniceum digitis dum versat Caelia florem,  
 2 figit et in niveo pectore, Cypris ait,  
 3 "Cur mea dona gerit virgo haec ingrata ? Benignam  
 4 suscepit mentem, mitis an ardet amans ? "  
 5 omnivagas quatiens puer insuperabilis alas  
 6 respondit, "Numquam desinet esse ferox.  
 7 Etsi dona gerat nunc mitia, respice, si vis :  
 8 sunt illa effuso tincta cruore tuo.  
 9 Ostendit rixas cruor, et fera proelia et iras ;  
 10 sunt animi signa haec sanguinolenta feri."  
 11 "Care puer, rudis es, nec nosti tempora veris,"  
 12 mater ait, "citius quam Notus illa fluunt.  
 13 Hic flos lacteolo qui gaudet pectore, vanae  
 14 significat formae quam cito munus abit.  
 15 Si pendit folium, haec ibi sunt praecepta : puella,  
 16 nunc vive : ut folium, sic tua vita, meum."

## AD CAELIAM

E\_57 v.1 Fingeret ut sculptor veros in marmore vultus,  
 2 vultus quaerebat posse videre tuos.  
 3 "Huic," dixi, "similem vis fingere ? Finge draconem,  
 4 qui teneat saevis corpora scissa modis.  
 5 Finge truces angues, aut nigrum finge venenum,  
 6 aut mare, cum tumidis exagitatur aquis.  
 7 Finge Notos rapidos atque umida nubila, et arma  
 8 finge Jovis : par his Caelia, saeva magis."  
 9 "Non id quaero," refert, "sed pulchram quaero figuram  
 10 illius, exsuperat quae sine fine deas."  
 11 Tunc ego, "Nil opus est alia tibi imagine ; pectus  
 12 hoc aperi : in corde est pulchrior illa meo."

## AD AMOREM

E\_58 v.1 Cur linquis caelum ob terras ? Tibi patria caelum,  
 2 in caelo non hac pulchra puella magis.

## AD IMAGINEM SUAM

E\_59 v.1 I nunc ad dominam, mea imago ; nitebis ab omni

2 parte quidem, aetherei lux ubi solis adest.  
 3 Illa dat, illa aufert animas, illa omnia tamquam  
 4 immortale sibi numen adesset, agit.  
 5 Accelera passus, sed ne discede priusquam  
 6 non poteris celeres viva movere pedes.  
 7 Deinde, ubi vitali te mutam impleverit aura,  
 8 succurrat domini tunc tibi forma tui,  
 9 dumque venit tacitis praeceps occasio pennis,  
 10 voce pia, quae sunt vulnera nostra, refer.  
 11 Forsan fiet amans, et sic mihi parcet amanti ;  
 12 et sic ambobus candidus annus erit.  
 13 Sed timeo hoc unum : ne, te dum pollice tangit,  
 14 exusta occumbas, simus et ambo pares.

DE CAELIA ET AMORE PICTO

E\_60 v.1 In claro dum se speculo pulcherrima comit  
 2 Caelia, ubi pictus cum face stabat Amor  
 3 quis credet ? Sic inquit Amor : "Sum pictus, at ipsa  
 4 ipsa videns me nunc Caelia, verus Amor."

AD CAELIAM

E\_61 v.1 Optarem fieri dives, sic dives ut ille  
 2 Croesus, et immensae regna tenere Asiae.  
 3 Post cernens hominum casus, et cuncta sub Orcum  
 4 ire, quid optando talia discrucior ?  
 5 Divitias contemno tuas, rex Croese, tuamque  
 6 vendo Asiam unguentis, flore, mero, choreis.

DE CAELIA ET SPECULO

E\_62 v.1 Colligit in nodum dum pexos Caelia crines  
 2 ad speculum, speculum talia verba refert :  
 3 "Quid me tam fixis, fixis miraris ocellis ?  
 4 Fulgorem superat lux tua clara meum.  
 5 Nota loquor : vitrea puer ille venustus in unda  
 6 conspectus proprio lumine fata tulit.  
 7 Heu ! quia saeva manes, tibi nec vis parcere, saltem  
 8 Parce mihi ; tua me scrinia clausa tegant.  
 9 Occular aut tenebris, aut totum rumpar ; amoris  
 10 non possum ulterius vulnera tanta pati.  
 11 Etsi non habeam sensum, tua gratia sensum  
 12 exhibet, et calidae sentio pestis onus.  
 13 Dirigis huc quoties spectantia lumina, flammae  
 14 succendunt inopi saucia membra mihi.  
 15 Hic neque veridica spectaris imagine ; namque  
 16 opprimor, et vires non tibi reddo meas,  
 17 sic te qualis ades, talem vis nosse ? Tui nunc  
 18 aspice amatoris corda : ibi imago tua est."

## DE SEIPSO ET AMORE DIALOGUS

E\_63 v.1 Quid me saeve tua laceras cum matre Cupido ?  
 2 Non ego ! (quid quereris ?) nec tibi mater obest.  
 3 Tu tibi causa mali. Vacuo dum pectore molles  
 4 stant curae, fervens serpit in ossa vapor.  
 5 Num frustra Cyprin veteres dixere ? Puella  
 6 te cremat ignita cuspide ; Cypris abest.  
 7 Numquid nullus Amor ? Nullus, sed forma nitorque  
 8 Pulcher Amor ; roseae plena pharetra genae ;  
 9 spicula, solares oculi ; manus alba, favillae ;  
 10 et risus, Charites ; verbaque, veris opes ;  
 11 aurea plectra, comae. Tandem, ferit illa, tenetque  
 12 illa arcum et flammam, nec mihi parcit, Amor ?  
 13 Nil facis ergo ? Nihil, sed nudus talia pando.  
 14 Quid pandis ? Pulchri Caelia quicquid habet.

## DE CAELIA ET PICTORE

E\_64 v.1 Se nudam aurato dum spectat Caelia panno,  
 2 et picturatum tangere gaudet opus,  
 3 "Dic, ubi me, pictor, vidisti corpore nudo ? "  
 4 fatur, "ubi candens et sine labe femur ?  
 5 Dic, ubi crura, pedes, mammas et cetera membra,  
 6 quae tam veridico scripta colore vigent ? "  
 7 Sic pictor : "Dubitas quid nunc ? Sum doctus ab illo  
 8 qui tuus est vero corde fidelis amans."  
 9 Quo pacto illa refert, "Me nudam vidit amator ?  
 10 Illius ex omni parte fugatur amor ! "  
 11 Tunc pictor : "Maeror pallorque illius et ardor  
 12 ostendit, quantum sit tua forma decens."  
 13 "Si sum tam tetrica, et qui me sectantur amantes  
 14 expallent, mitis cur ego pingor ? " ait.  
 15 Cui pictor, "Placidum facies tua signat amorem ;  
 16 quod latet in tacito pectore nemo videt.  
 17 Saevitiam in pulchris si vis ostendere membris,  
 18 pingere superciliis haec fera verba tuis :  
 19 i procul hinc, hospes : sum feta saevior ursa.  
 20 Sum lapis, et qui me poscit, inanis erit."

## DE AMORIS LAUDIBUS

E\_65 v.1 In terris cum fulsit amor, cessere tenebrae,  
 2 et magni visa est semita clara poli.  
 3 Tunc cessit torpedo gravis, cessitque veternus,  
 4 pestis, et infelix grando, nivisque furor.  
 5 Cesserunt Jovis horrendi vaga fulmina, cessit  
 6 bellorum rabies, et Necis atra manus.  
 7 Absit amor, surgunt tenebrae, torpedo, veternus,  
 8 pestes, grando, nives, fulmina, bella, neces.



## DE SEIPSO

E\_66 v.1 Flens veni in terras, et flens discedo, fuitque,  
2 dum vixi, fletus vita, dolor, gemitus.

## AD ACANTHIDEM

E\_67 v.1 Quam bene tu mecum, volucris dulcissima, vivis !  
2 Sat dulce ejusdem sortis habere pares !  
3 Tu fixo in ramis visco decepta fuisti ;  
4 decepta et visco praeda ego, praeda fui,  
5 tu sola hic, sola ; hic ego solus, solus amator.  
6 Utque abeas optas, opto ut abire queam.  
7 Tu viridi pluma atque innato murice tincta ;  
8 me quoque, si nescis, tingit uterque color.  
9 Spes viret, ostendit mea murex vulnera. Ploras  
10 tu libertatis tempora, tempus ego.  
11 Te cavea includit lento de vimine texta ;  
12 me claudit saevo in carcere saeva Venus.  
13 Damnosas querulo mulces modulamine curas ;  
14 heu ! curas querula mulceo voce meas.  
15 Spina tibi nomen praebet ; mihi spina dolorem  
16 injecit lateri. Tu gemis ; ipse gemo.  
17 Ambo infelices sumus, et sine sensibus ambo ;  
18 at tua sors nostra sorte beata magis.  
19 Portio tota tibi cordis ; mihi portio nulla  
20 cordis adest. Totum cor laceravit amor.

## DE CAELIA

E\_68 v.1 Nunc ubi Praxiteles ? Ubi Scopas, priscaque virtus  
2 illorum artificum ? Cuncta sepulta jacent.  
3 Heu, doleo ! Nostrae quis marmore sculpet in albo  
4 pectora, quis fulgens lumen et ora deae ?  
5 Erigere huic statuam et templum aedificare decebat,  
6 oblatas caperet pro Jove ut una preces.

## DE CAELIA

E\_69 v.1 Ferrum flamma domat, silicem domat unda, adamantem  
2 sanguis, at haec ferro durior et silice  
3 atque adamante : meo non igne, fluente nec unda,  
4 nec misso e venis sanguine se domuit.

## DE SEIPSO ET CAELIA

E\_70 v.1 Mirabar (memini). Miranti Caelia dixit,  
2 "Quaere alios tibi nunc, quaere in amore jocos.  
3 Dum cribro fluvios captas et retibus austros,  
4 nil agis, utque fluens laberis unda miser.  
5 Nunc potes Ausonias aut Graias volvere chartas,  
6 dum tenera est aetas et labor ipse juvat.

7 Nunc propera, dimitte faces, dimitte sagittas,  
 8 floreat et studiis culta Thalia tuis.  
 9 Nosce diem. Venient tristissima nubila, cumque  
 10 grata voles vitae sumere dona, fluent.  
 11 Ne cogare senex rideri aut tradere flammis  
 12 quae scribis nunc sunt praecipitanda rogis."  
 13 "Vera licet referas," dixi, "tua candida forma  
 14 efficit ut faciem cogar amare tuam."

DE SEIPSO ET CUPIDINE DIALOGUS

E\_71 v.1 Aliger, invicta qui cuspidem semper oberras,  
 2 dic mihi, cur nudum te tua mater alit ?  
 3 Nudo homines qui nostra petunt delubra. Rubenti  
 4 Cur stant in dextra spicula ? Trado necem.  
 5 Cur puer es ? Pueros facio quoscumque sagittis  
 6 saucio sive volans ignibus uro meis.  
 7 Ventosas umeris cur fixit Juppiter alas ?  
 8 Est quovis levior flamine quisquis amat.  
 9 Cur tecum faculae ? Quia vivida corda fretumque  
 10 et juga montosa et scrupea saxa cremo.  
 11 Caecus es an claro, dic, lumine ? Caecus amator,  
 12 non ego. Luce poli lux mea clara magis.  
 13 Pasceris ambrosia seu nectare ? Pascor amoenis  
 14 blanditiis, risu et sedulitate joci.  
 15 Cur tibi pulchra parens ? Quia densos forma calores  
 16 ingenerat, formae munere nascor ego.  
 17 Cur maris e fluctu prognata est mater ? Amator  
 18 ut mota in salsis fluctuat unda vadis.  
 19 Dic tua num vilis domus an cultissima. Nulla  
 20 tecta colo ; hiberno sub Jove dego miser.  
 21 Dic, ubi stas cum lassa tuo sunt membra volatu ?  
 22 Crede mihi, numquam me levis ala vehit.  
 23 Pulchra suo imposuit me Caelia pectore, et ambo  
 24 bella polo et terrae et bella minamur aquis.

AD CAELIAM

E\_72 v.1 Tota anima ex oculis mirantibus exiit. Argus  
 2 ut fierem oravi, caecus at inde fui.

AD HIRUNDINEM

E\_73 v.1 Aequales ambo : tu stas signata cruore ;  
 2 quassa mihi exsucto membra cruore cadunt.  
 3 Tu defles Itylum ; quid me nisi flebilis angor  
 4 exsternat ? Lacrimis deperiere genae.  
 5 Tu Philomelaeae loqueris dispendia linguae.  
 6 Ipse mea (ah demens !) fata necemque loquor.  
 7 Exoritur cum mane recens ex aequore Phoebus,  
 8 conquereris ; maesta tunc ego voce queror.  
 9 Erras, et circum, circum stridoribus imple  
 10 atria, sic circum strideo, et erro miser.

11 Heu ! tua vita magis felix, nam tempora veris  
12 semper habes ; veris tempora nulla mihi.

DE IOVE ET CUPIDINE

E\_74 v.1 Juppiter, humanae captus fulgore puellae,  
2 aligero dixit talia verba deo :  
3 "Fac mecum parili flagret nunc Caelia flamma,  
4 et nectat dulcis mutua vincla Venus."  
5 Huic Veneris proles ait, "O mihi parce, favillae  
6 quas jaciam pro te pectora nostra cremant.  
7 Quod cupis efflictim cupio ; sum primus amator,  
8 et norunt fletus concava saxa meos."  
9 Talia percipiens, alti moderator Olympi  
10 in puerum coepit conscelerare manus,  
11 ille sed, aeriis pennis confisus, in auras  
12 tollitur, et, pavitans fulmina, quaerit opem.  
13 Hanc petit, et niveo se claudit pectore et ipsis  
14 luminibus, dicens, "Hic ego tutus ero."

DE CAELIA ET SPECULO

E\_75 v.1 Ante suum ornatur speculum dum Caelia, dixit  
2 sic speculum : "Speculo clarior ipsa tuo.  
3 Quae pars neglegitur, pars illa decentior." Alma  
4 Caelia, "Non utor te modo ut orner," ait,  
5 "sum pulchra, ut dixit ; cupio sic pulchra videri.  
6 Quid pulchro in terris gratius ore viget ? "  
7 Subrisit speculum, jactanti et talia fatur :  
8 "Ne credas dictis, facta superba, meis,  
9 nec tibi sic placeas. Non est formosa puella  
10 nec prudens, quae non sentit amoris opus."

DE SEIPSO DIALOGUS

E\_76 v.1 Viscera si calidis tua sunt exusta favillis,  
2 cur non, pulvereo funere mersus, obis ?  
3 Spiritus in gemitus si fluxit et aere gaudet  
4 liberiore, tibi qui movet ora sonus ?  
5 Cor si praereptum, quo vivis corde ? Frequenter  
6 si ploras, cur non conteris ossa fluens ?  
7 Si percussit Amor saevo tibi vulnere pectus,  
8 cur non percusso in pectore vulnus habes ?  
9 Desine, quisquis ades, miseros sic laedere manes,  
10 umbra mea est corpus quae regit, ipse obii.

DE CAELIA VENANTE

E\_77 v.1 Dum vaga venatur per nostros Caelia saltus,  
2 hanc cernens, subito Delius obstupuit.  
3 "Cur hic errat," ait, "campis germana remotis,  
4 et juga Parthenii linquit amoena soli ? "

5 Dum sic miratur, vertit sua lumina. Cynthum  
 6 lustrat et hic vero est numine visa soror.  
 7 "Anne duas," inquit, "peperit Latona Dianae ?  
 8 Quae consanguinea est ista vel illa ? Mihi ?  
 9 Haec vadit passis, et passis illa capillis ;  
 10 haec placet insigni pectore, et illa placet.  
 11 Nusquam tam similes toto sunt orbe Dianae ;  
 12 una stat effigies, unus utrique decor."  
 13 "Venantes ambae, verum, sed dispere praeda,"  
 14 Juno ait, ": haec homines conficit, illa feras."

## AD CAELIAM

E\_78 v.1 Misisti florem. Florem, mea Caelia, pronus,  
 2 pronus in obducto claudio et adoro sinu.  
 3 Hesperidum cedent illi violaria, namque  
 4 pensilis aurato vomere fiet ager.  
 5 Illum irrorabunt oculi fluitantibus undis ;  
 6 pro molli Zephyro flamina pectus habet.  
 7 Donec erunt lacrimae, donec difflabit in auras  
 8 spiritus hic, viridi flore virebit ager.  
 9 Semper ego flebo, semper suspiria fundam,  
 10 sub verno semper flos erit axe virens.  
 11 Si tamen arescet, condam sublime sepulchrum,  
 12 nenia ubi imparili carmine talis erit :  
 13 "Flos jaceo hic, crebro fletu confotus et aura  
 14 vitali, effugi nec grave mortis onus.  
 15 Quid tu, pulvereo quae stas sub cortice ? Velox  
 16 vita magis tua (nunc gaudia carpe !) fluit.

## DE SEIPSO ET VENERE

E\_79 v.1 Dum Venus in triviis errantem quaerit Amorem,  
 2 huic loquor, "Errantis dic mihi signa dei."  
 3 Illa refert, "Do signa. Meus, meus ille protervus,  
 4 audax et praeceps et sine lege puer.  
 5 Blanditur cuiquam, cuiquam desaevit, abitque  
 6 et redit, et quo vult fertur, ut aura volat.  
 7 Crine suo pulchrum caput et pulcherrima cervix,  
 8 una nec in toto corpore menda manet.  
 9 Par color est igni suus, et sua lumina lucent  
 10 ut flammae. It nudus, nilque pudoris habet.  
 11 Arcum laeva tenet, super arcum dextra sagittam ;  
 12 circum umeros calamis plena pharetra nitet.  
 13 Non parcat matri, nunc hunc, nunc sauciat illum,  
 14 et domat aethereos Tartareosque deos.  
 15 Quin etiam rapidos armis immiscuit ignes.  
 16 Sic simul exscindunt arma simulque cremant.  
 17 Alloquitur quoties blando sermone vel ore  
 18 purpureo arridet, damna dolosque struit.  
 19 Dissonat a lingua et verbis mens atra, nec ullus  
 20 tam prudens, quem non retibus ille tegat.  
 21 Basia lascivus praebet, sed labra venenum  
 22 intus habent. Sunt haec dulcia at usque nocent.

23 Dona libens offert. Quaecumque haec dona, cremanti  
 24 tincta face et Stygio tincta liquore, necant."  
 25 tunc ego, sublatis ridens clamoribus, inquam,  
 26 "Non procul hinc natus, Cypria diva, tuus.  
 27 Pectore sub nostro deus hic affigitur. Alas  
 28 perdidit, et, claudo stans pede, abire nequit."

## AD CAELIAM

E\_80 v.1 Tres Charites. Tribus una Charis conecteris, illae  
 2 tres Charites teneant ut, dea, te Charitem.

## DE CAELIAE FLAMMA

E\_81 v.1 Caelia dum teretem niveo sub pollice fusum  
 2 torqueret, lateri staret et alba colus,  
 3 it linum in flammis. Unde hic accesserit ignis  
 4 ignoratur. Ait serva, "Cremavit Amor ;  
 5 nam, dum corda nequit, quae sunt adamantina, miris  
 6 insidians voluit lina cremare rogis."  
 7 inquit anus, lychni fuit haec scintilla propinqui.  
 8 Blanda sed augurium credidit esse parens.  
 9 "Aut haec," dixit, "erit fulgens regina, regetque  
 10 non fallor ! Terras et mare signa patent !  
 11 Aut haec aeternum infiget tellure trophaeum  
 12 ob formam. Vivas, filia, fulsit apex."  
 13 Talia dum referunt, telis armatus et arcu  
 14 venit Amor. Blandos sic dedit ore sonos :  
 15 "Si, longe aspiciens, haec urit lumine divos  
 16 atque homines, prope cur urere lina nequit ? "

## CAELIA DORMIENS

E\_82 v.1 Dum movet aura comas, dum fontis murmurat unda,  
 2 sub placida hac pressit me modo valle sopor.  
 3 Quisquis ades, mollem, dum dormio, parce quietem  
 4 rumpere : sum sacrae Caelia numen aquae.

## ARGUS

E\_83 v.1 Argus eram prudens, et habebam lumina centum,  
 2 centum sed rapuit lumina Juno mihi.  
 3 At, postquam pictum fecit sibi Caelia flabrum  
 4 ex illis, oculos sentio, cerno magis.  
 5 Invidet his oculis tellus et pontus et aether,  
 6 quilibet et lucem vellet habere meam.  
 7 Si quando faciem tegit, aut si quando papillas,  
 8 Phoebe, tuam toto pellis ab orbe facem.  
 9 Depulso quoties diffunditur aere ventus,  
 10 sedulus accensam lampada motat Amor.  
 11 Hinc ego vivo et amo, tamen hac formidine turbor  
 12 ne, sibi dum frigus captat, adurar inops.

## DE CAELIAE BALNEO

E\_84 v.1 Inclita laudatas peteret cum Caelia Baias,  
 2 atque salutiferis membra lavaret aquis,  
 3 vidimus ejectis undantia balnea flammis.  
 4 Miramur quid sit tantus et unde vapor.  
 5 Quidam inquit, "Simulac visa est hic Caelia nuda,  
 6 hac cum rupe latens protinus arsit Amor."

## DE CAELIAE FLORIBUS

E\_85 v.1 Jam crescent albi flores, et fulgida crescent  
 2 lilia, narcissi purpureaeque rosae.  
 3 Quisquis amas, gaude : crevit flos unicus, et, jam  
 4 maturus, suavis munus odoris habet.  
 5 Laetentur valles, campi laetentur et horti.  
 6 Quamquam saevit hiems, veris habentur opes.  
 7 Arridens, albos flores et lilia fundit  
 8 Caelia, narcissos purpureasque rosas.

## AD CICADAM

E\_86 v.1 Tu felix cantas molli sub fronde, cicada,  
 2 ipse queror durae virginis ante fores.  
 3 Ros tibi dat vitam, mihi vitam fletus ; adurit  
 4 aestatis non te fervor, aduror amans.  
 5 Tu quocumque libet volitas, ego carcere claudor ;  
 6 garrula tu fundis carmina, funus ego.  
 7 Tu vernis zephyris et leni flamine gaudes,  
 8 at mea succendit fervidus ossa calor.  
 9 Tu nimis exsultas, ego caeco vulneror arcu ;  
 10 tu dives, sic est sors mea, pauper amo.  
 11 Hoc tantum similes, similes sumus ambo : querente  
 12 voce peris, pereo voce querente miser.

## DE CUPIDINE

E\_87 v.1 Fallitur, esse deum qui magnum dicit Amorem :  
 2 qui deus est, bonus est ; hic malus usque necat.

## DE SEIPSO DIALOGUS

E\_88 v.1 Cur sic exardes ? Nascenti afflavit amores  
 2 torva Venus ; Veneris flamma regna sequor.  
 3 Quae tibi, dic, mater ? Fletus. Pater ? Impius ardor.  
 4 Quae nutrix ? Gemitus. Quae domus ? Urna silens.  
 5 Quo lacte es pastus ? Spe cassa et cortice et Euro.  
 6 Quis docuit linguam promere verba ? Furor.  
 7 Qua veste obtegeris corpus ? Patientia corpus  
 8 obtegit. Hic quaeris quid modo ? Quaero necem.  
 9 Quid garris ? Tetricae pallentia funera mortis.

10           Ut vivis ? Miseri ut vivere in orbe solent.  
 11           Num sic semper eris ? Semper. Quae causa doloris,  
 12           dic, tanti ? Solus causa malignus Amor.

DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_89    v.1    Flebat Amor, matremque suam quaerebat. At ipsa  
           2           ut visa est vultu Caelia pulchra suo,  
           3           ipsam appellat Amor matrem ; sed Caelia torvo  
           4           lumine ait, "Non sum mater." Amor rubuit.

DE SUA PICTURA

E\_90    v.1    Pingeret ut tenui in tabula mea corpora pictor,  
           2           coeperat a membris pingere membra meis ;  
           3           sed, quoniam absumpto nisi pallor stabat in ore,  
           4           e populo unus ait, "Sit tibi pallor opus."  
           5           Approbat, et tenuem pallenti chromate formam  
           6           pingebat. "Cur non," dico ego, "pingis aquas ?  
           7           Cur non et flammis ? Cur non suspiria ? Cur non  
           8           hos gemitus ? Haec sunt quae mihi damna nocent."  
           9           Ille autem, infausto cernens me vivere fato,  
           10          pinxit in ardenti corpus inane rogo.

DE CAELIA ET SPECULO

E\_91    v.1    Pectine formosos concinnans Caelia crines,  
           2           consuluit speculum, quae sibi forma foret.  
           3           Respondit speculum, "Quid tecum fulgor honosque,  
           4           si fugis Idalium tam pudibunda torum ?  
           5           Accedent anni, quibus istaec fugerit aetas,  
           6           et quibus urenti non eris apta joco.  
           7           Vive hodie : cras nimbus erit, cras nubila surgent,  
           8           impelletque tuam dira procella ratem.  
           9           Conteris aetatem viridem. Non vivitur apte  
           10          hic, ubi non laetus dona ministrat amor.  
           11          Quid tibi concessus decor ? Utere tempore : virgo  
           12          casta nimis dici virgo sepulta potest.  
           13          Omnia mutantur. Quoties mutata dolebis,  
           14          et dices : heu ! cur dura in amore fui ?  
           15          O quam saeva tibi, cur perdis praemia formae ?  
           16          Forma quid est, fructum ni sua dona gerunt ?  
           17          Nunc propera, dum vernat humus, dum lilia florent :  
           18          haec, non maturo tempore lecta, cadunt.  
           19          Nunc propera, infelix ; vertuntur tempora circum  
           20          et redeunt, sed tu non reditura peris.  
           21          Cui non hoc notum ? Vita haec ni pulveris umbra,  
           22          vita nihil. Caelos suscipe, amore calent.  
           23          Quid sit amor, nescis. Res est dulcissima. Disce,  
           24          disce tua sapiens utilitate frui.  
           25          Cur natura dedit quae dona relinquis, et illa  
           26          quam peccas ! Homines mille relictas necant ?  
           27          Lenta manes, nec credis, inops. Inscitia tanti

28            causa mali. Gaude. Saeva moraris. Ama.  
 29            Hoc, hoc consilium tibi do, do, Caelia ; dumque  
 30            me spectas, speculi haec verba loquentis habe."

AD AMOREM DORMIENTEM

E\_92        v.1        Dormis, saeve puer, sed non tuus arculus ; ignem  
              2            suscitatur, et vigili lampade corda cremat.

AD CAELIAE IMAGINEM

E\_93        v.1        Tristia solaris praecordia, dasque quietem,  
              2            cum cerno vultus, picta tabella, tuos.  
              3            Contra illa infestat me totum, spernit et odit,  
              4            et, quam formosa est, tam ferus urit amor.  
              5            Si tibi lingua foret, proferres verba, sed illa,  
              6            ora potens miti voce movere, silet ;  
              7            et, quamvis sileas, tu dicere verba videris,  
              8            et mulces fletus, saevius illa tumet.  
              9            Annuis, ingredior quoties, reddisque salutem,  
             10            illa, negans, solum dicere novit, "Abi ! "  
             11            laeta manes, mecumque sedes immobilis, illa,  
             12            mobilior sicca fronde, superba fugit.  
             13            Te crebro ostendis, crebro latet illa ; querelas  
             14            tu vanas audis, surdior illa freto.  
             15            Estis inaequales cunctis in rebus, et ambo  
             16            dispariles, sed vos res facit una pares :  
             17            illa ab amore procul, quia vitae munera nescit,  
             18            emoritur, tenebras tu quoque mortis habes.

DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_94        v.1        Armatur telis puer aliger, accipit arcum,  
              2            et ruit in dominam cum face. Laetor ego.  
              3            At domina ut torsit sua lumina, diffugit ille ;  
              4            "Non te (parce, precor !), cor peto amantis", ait.

DE SEIPSO, MORTE ET CUPIDINE

E\_95        v.1        Dum mea lingua vocat Mortem, Mors advenit et, "Quid  
              2            vis ? " ait. "Hoc cupio," dico ego, "caede caput."  
              3            Falcem aptat collo, caedit ; nec caeditur ulla  
              4            vena, nec elapso membra cruore cadunt.  
              5            Miratur Mors ; ipse tremo, ceu canna palustris  
              6            cum quatitur rauco saepius acta Noto.  
              7            Vidit ut id, summo dilabatur axe Cupido,  
              8            et dicit, "Non hic ense perire potest.  
              9            Si quissem hunc ferro seu tristi abrumpere flamma,  
             10            hoc arcu quoties occubisset amans !  
             11            Ossibus hic tantum dolor est et pallor et ardor,  
             12            Pulchra sed ejus habet Caelia pulchra animam."



## DE CAELIA ET PAPILIONE

E\_96 v.1 Papilio, fulgens dominae dum lumen oberrat,  
 2 carpit et a teneris oscula grata genis,  
 3 occidit. Ante tamen nigrum quam viseret Orcum,  
 4 dicitur haec surdis verba dedisse notis :  
 5 "Ecce ! hominum quae mille domat, quae mille deorum  
 6 pectora, me manibus, quae modo fama, necat ! "

## AD LECTOREM

E\_97 v.1 Si molles elegos et vana epigrammata texo,  
 2 non mirum : mollis, tu quoque vana facis.

## DE SEIPSO ET CAELIA

E\_98 v.1 Ut movit crines ventoso Caelia flabro,  
 2 accessere ipsi frigora, flamma mihi.  
 3 Hoc mirum : in glaciem duram convertitur illa,  
 4 quae numquam aestivo sole liquere potest ;  
 5 Ipse cinis fio. Sed qui me novit amantem  
 6 apposuit cineri subdita verba meo :  
 7 Caelia, frigus amans dum percutit aera pennis,  
 8 fit glacies ; miser hic frigore adustus obit.

## AD GASPAREM ANGERIANUM

E\_99 v.1 Desine sollicitis vitam producere curis,  
 2 o pater, et quae sunt tempora nosce : fluunt.  
 3 Jam, rude donatus, requiesce, atque otia quaere.  
 4 Clarus es, et docta Pallade factus eques.  
 5 Undique laudaris. Novit Campania fasces  
 6 tota tuos, dives Daunia et Aprutium,  
 7 et norunt Calabri dulcisque Neapolis, omnes  
 8 Lucani. Reliquum nunc tibi tempus habe.  
 9 Quo fluis ? Optando cruciaris, et omnia venti  
 10 conculcant. Satis est vivere. Vive hilaris.  
 11 Dum majora petes, aderunt nec vota, dolebis,  
 12 aegraque crudelis viscera spina premet.  
 13 Cernis ut acris hiems tumeat, freta concitet ater  
 14 Africanus ? Ingrati jurgia linque fori.  
 15 Est urbs Hirpinis Arianum in collibus. Illic  
 16 Roberta ex Guisio sanguine nata parens.  
 17 Illic laetus ager, domus illic grata, virensque  
 18 hortus, et ex omni vinea parte ferax.  
 19 Gaudia diffugiunt. Illuc secede ; tuumque  
 20 dilige sic natum, natus ut ipse patrem.

## DE SUIS STUDIIS

E\_100 v.1 Quid sit libertas novi : mea grata voluptas,  
 2 dum vigilet studiis parva lucerna meis.

3       Hoc juvat, an visam reges regumque triumphos,  
 4           et stabo ante tuum, dives inepte, torum ?  
 5       Quis te ferre potest nisi demens ? Ferre tumentes  
 6           qui norunt fastus, limina magna terant.  
 7       Hic mihi grata quies, et, quamvis saeviat Auster,  
 8           enitet exiguo jam meus igne focus.  
 9       Pulso chelyn digitis, et dulcia carmina canto,  
 10           carmina quae possunt saepe movere deos.  
 11       An mea languentum conturbant gaudia morbi,  
 12           jurave clamosi litigiosa fori ?  
 13       Hoc melius quam ferre tuas, plebecula, sordes,  
 14           irarum et pleno corde redire domum.  
 15       Ite, alii, in bellorum acies, in proelia, in hostes.  
 16           Tuta magis sunt haec castra : cruore vacant.  
 17       Hinc procul ambitio, procul hinc vesana cupido,  
 18           rugaque turbatae frontis et ira procul.  
 19       Conscia mens recti fida est custodia, dumque  
 20           nil obsim, mea quo membra pavore trement ?  
 21       Tota ruat caeli moles, non terreor. Ipsa,  
 22           ipsa ruant in me fulmina, laetus ero.

## AD CAELIAM

E\_101   v.1       Nunc vivo et vivis ; vivi jungamur amantes,  
           2           et laeti in media simus uterque rosa.  
           3       Gaudentes vivunt ; blandos excludet amores  
           4           et dulces lusus taetra senecta, obitus.

## DE CAELIAE VENATIONE

E\_102   v.1       Dum custodit agros canis, et loca pervia cingunt  
           2           fila plagae, et flatu cornua plena sonant,  
           3       dum ferit aeras clamor venaticus auras,  
           4           exsilit exserto dente protervus aper.  
           5       Nunc hac, nunc illac ceu fulmen perfurit, atque  
           6           contra illum quisquam cominus ire pavet.  
           7       "Formidatis ? " ait Mavortia Caelia ; vestes  
           8           complicat, effusas aptat in aure comas,  
           9       flectit equum in gyros, stringit venabula dextra.  
 10           Ille ferox dominae concidit ante pedes.  
 11       Obstupere omnes. Tunc quidam, "Non ego miror  
 12           nec stupeo, ferro si fera caesa fuit.  
 13       Ecce ! potest oculis pulchris et pectore pulchro  
 14           armatos homines et laniare deos ! "

## MITTIT COROLLAM AD AMICAM

E103   v.1       Floribus intextam diversis mitto corollam,  
           2           quam feci manibus nunc tibi, vita, meis,  
           3       ut cingat flavos crines, et tempora circum  
           4           fulgescat. Tepidi munera veris habes.  
           5       Sunt hic (ecce vides) ridentia lilia, pulchri  
           6           narcissi, atque tuae pulchrae, hyacinthe, comae

7 necnon Idalio maculati sanguine flores,  
 8 atque alii, tellus quos modo feta tulit.  
 9 Si quaeris : "Donum quid vult sibi tale ? ", corolla  
 10 ut viret haec parvo tempore, forma viret.

#### IRASCITUR AMICAE

E\_104 v.1 Ecce ! tumet forma praestanti Caelia, statque  
 2 insigni crine et fronte nitente ferox.  
 3 Praeteriens humili si dico voce salutem,  
 4 non audit vocem, nec mea damna videt.  
 5 Rideor, infelix. Anni, properate, diesque,  
 6 acceleraque tuos, curva senecta, pedes.  
 7 Finde genas sulcis, et canos effice, tantus,  
 8 tantus ut ex illo corpore fastus eat.

#### AD CAELIAM

E\_105 v.1 Ne fide humanis, mea Caelia : cuncta creata  
 2 sunt nihil, et nulla cum ratione fluunt.

#### DE SEIPSO ET CUPIDINE DIALOGUS

E\_106 v.1 Cur sic expalles ? Ubi nunc color igneus, artus  
 2 qui tibi, si memini, condecorabat, Amor ?  
 3 Dic, ubi labentes humana in corda favillae ?  
 4 Unde fugis ? Tua cur membra pavore tremunt ?  
 5 Dic, ubi sunt alae atque arcus ? Ubi tela, pharetrae ?  
 6 Non ille es, genuit quem Venus orta salo ?  
 7 Ipse fui quondam deus, et caelestis et ingens,  
 8 quem peperit gratis fluctibus orta parens.  
 9 Nunc paveo et fugio, nam me superavit amantem  
 10 quae nata est damnis unica forma meis.  
 11 Dic, non solus habes, non solus numen amantum ?  
 12 Numina quid prosunt ? Saucius, ecce, vagor.  
 13 Quis te prae grandes jaculatur fortius ictus ?  
 14 Una dea est, homines quae ferit atque deos,  
 15 et non est illi sicut mihi debilis arcus,  
 16 qui non transmissa cuspide vulnus agit.  
 17 Dic, quibus haec armis te tantum exterruit hostem ?  
 18 Arma quibus vicit me modo nullus habet.  
 19 Illa oculis, oculis armata potentibus audet :  
 20 intuitu ex umeris excidit ala meis.  
 21 Arcum colloquio fregit, risuque pharetram,  
 22 pallorem membris facta proterva tulit.  
 23 Exhibat leni qui dulcis anhelitus ore  
 24 surripuit mentem, surripuitque facem.  
 25 Defeci infelix. Mihi damna nigrumque colorem  
 26 iniciens rapuit cuncta decora vides.  
 27 Ergo vacas, et nostra silent incommoda, statque  
 28 tutus amans ? Per me qualibet ire potest,  
 29 sed manet in terris quae me confixit et ussit.  
 30 Dic, quae ? Nota tibi Caelia ? Nota : necat !

## DE TABELLA COMBUSTA

E\_107 v.1 Assumptam lychno simul ac videt esse tabellam,  
 2 in qua picta meae lumina erant dominae,  
 3 incusat lychnum pictor. Cui sic ego, "Demens,  
 4 falleris ; ipsa suo lumine adusta fuit."

## DE CAELIA ET AURA

E\_108 v.1 Lactea fulgentes dominae per colla capilli  
 2 pendebant, quos dum prospicit aura, refert,  
 3 "Quam pulchram aspicio frontem ! Par illa dearum  
 4 frontibus. Accedam ? Quis vetat ? Ecce, patet."  
 5 Haec simul ut dixit, veloces excutit alas,  
 6 coepit et in nivea fronte movere comas.  
 7 Illa tamen motos crines astringit in orbem,  
 8 increpat et Zephyri saevaue flabra Noti.  
 9 Aura sed insistit, quae, dum turbare capillos  
 10 non potis est, labris haeret, et ora subit.  
 11 "Hic, hic laetor," ait, "nam dulcia basia carpo,  
 12 basia spiritibus basia digna meis."  
 13 Dum sic laetatur, dum sic sua gaudia jactat,  
 14 occidit in casto facta beata sinu.  
 15 Hanc Venus in medio locat aere, condit et urnam,  
 16 in qua sub tali carmine nota cubat :  
 17 "Aura in amore fui felix, nunc sum nihil aura,  
 18 sic fiet quae stat Caelia saeva nihil."

## AD CAELIAM

E\_109 v.1 Luce tua ipse calens, timeo ne maximus ignis  
 2 sic calor hic terras et maris urat aquas.

## CAELO COMPARAT AMICAM

E\_110 v.1 Septem errant ignes per caeli mobilis axes ;  
 2 septem etiam illa suo in corpore signa tenet.  
 3 Ostendit gelidos vultus argentea Phoebe ;  
 4 illa suum intextum de nive pectus habet.  
 5 Mercurius linguae decoratur dotibus, illa  
 6 eloquio dulci saxa fretumque domat.  
 7 Apparet cum mane Venus, cum vespere ; et illa  
 8 utroque apparet tempore, clara magis.  
 9 A liquidis veniens Sol praeclarissimus undis  
 10 enitet ; illa suo, cum venit, ore nitet.  
 11 Fortior armato Mars milite surgit ; et illa  
 12 fortior armato milite surgit atrox.  
 13 Juppiter, aspiciens, cum terra pacat Olympum ;  
 14 cum caelo, aspiciens, illa serenat humum.  
 15 Curvatur senio tristis Saturnus ; et illa,  
 16 pulchra satis, tantum moribus exstat anus.

17 Quicumque ergo meum non umquam vidit amorem,  
18 in caelum attollas lumina, doctus erit.

## AD CITHARAM

E\_111 v.1 Te pulso digitis, et curvo pectine pulso ;  
2 me pulsat saevo verberere saevus Amor.  
3 Tu cincta es nervis ; mea sunt religata catenis  
4 pectora. Dulce sonas carmen ; at ipse queror.  
5 In medio stant bina tibi, stant vulnera ; pectus  
6 mille meum quassant vulnera, mille faces.  
7 E buxo contexta nites ; ego pallidus umor  
8 tabeo, et in vilem respice ! Vertor humum.  
9 Cum pulsaris, habes animam, nam membra resultant  
10 spiritibus ; tecum mortuus ista loquor.

## AD CAELIAM

E\_112 v.1 I, lege nunc florem. Si floris praeterit aetas,  
2 non florem at sentes vae tibi ! Cana leges.

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_113 v.1 Caelia conspicuos ornarat flore capillos.  
2 Captus Amor pulchri floris amore refert,  
3 "Da mihi, diva, tuum florem." - "Do," Caelia, "florem,"  
4 inquit, "Acidalias si dabis ipse faces."  
5 Accipiens florem, puer hic sua tradidit arma.  
6 Sic Amor it laetus flore, puella face.

## DE ABSENTIA AMICAE

E\_114 v.1 Hic, ubi sum, mites aerae, felicitis et horti  
2 sunt hederarum, et lauri, Phoebe decore, tuae.  
3 Hic lassus recubat Boreas, hic otia litus  
4 incitat, et somnos, dum silet unda, facit.  
5 Commoda Parthenopes hic balnea, veris et ampla  
6 rura, ubi perpetuo flore nitescit humus.  
7 Sed, quoniam dulcis procul exstat Caelia, mitis  
8 aura fugit, sentes et meus hortus habet,  
9 Frigidus insurgit Boreas, et litora fluctu  
10 curva sonant, vigili cedit ab ore sopor.  
11 Nil hic Parthenopes, sed inhospita saxa Lycae  
12 aspicio. Hic illa, hic sit modo, divus ero.

## AD CAELIAM

E\_115 v.1 Qui spuma exortam Cyprin, qui Cypride Amorem  
2 dixit, non vidit quam tua forma nitet.  
3 Obvia tu quoties fis nobis, una nitenti  
4 aspectu exoritur Cypris et unus Amor.

## DE SEIPSO ET CUPIDINE DIALOGUS

E\_116 v.1 Cur veheris curru nec pennis, alme Cupido ?  
 2 Sum fessus ; pennas non habet ala suas.  
 3 Non meus hic currus, sed matris. Cerno columbas  
 4 purpureas. Tales dat mihi mater aves.  
 5 Advehor his avibus. Sed postquam lassa columba ?  
 6 Advehor a gemino passere laetus Amor.  
 7 Qua veheris volucris cum lassus passer anhelat,  
 8 nec potis est pennis se mage ferre suis ?  
 9 Caelia tunc passer, tunc Caelia pulchra columba,  
 10 Caelia tunc albus cyncus et albus Amor.

## AD PICTOREM

E\_117 v.1 Dele opus hoc, pictor, duplici ne Caelia flamma  
 2 nos urat. Picta et viva dat ore faces.

## DE CAELIA CUPIENTE AURAM

E\_118 v.1 Aestiva recubans sub quercu, Caelia dixit :  
 2 "Nunc vellem afflatus, mobilis aura, tuos."  
 3 Confestim a nostro pelluntur pectore flabra,  
 4 aura fit ex illis, motat et aura comas.  
 5 Caelia laetatur vento, sed dicit : "Ut ignis  
 6 fervet, et urentes cerno venire rogos ! "  
 7 "Ne mirere," ait aura, "tuus me mittit amator,  
 8 et magnus fluit hic corde calente calor.  
 9 Sed miror quare nunc poscis frigora, totas  
 10 sueta tenere hiemes, sueta tenere nives."

## DE SUA POENA IMMUTABILI

E\_119 v.1 Dic, ubi Thebarum portae, Babylonis et alta  
 2 moenia ? Romanae, dic, ubi sceptrum togae ?  
 3 Herba tegit Trojam, Graias tegit herba Mycenae  
 4 nec credis montes hic, ubi campus, erant.  
 5 Quod secat Europam et Libyam mare vomer arabat,  
 6 nexaque cum Brutiis Trinacris ora fuit.  
 7 Ecce, hominum steterant ubi quondam tecta, ferarum  
 8 nunc lustra urticis obsita cerne ! Jacent.  
 9 Quot maria atque lacus tellus absorpsit ? Et ipsa  
 10 quot titulos tellus, quot laceravit opes ?  
 11 Atteritur digitis aurum dum fertur, et undae  
 12 saxa cavant, mutant flumina curva vias.  
 13 Inscribunt Pario reges sua nomina saxo ;  
 14 nomina cum saxis sunt peritura suis.  
 15 Omnia sub magno tandem vertuntur Olympo.  
 16 At mea in aeterno poena dolore manet.

## DE VENERE ET CUPIDINE

E\_120 v.1 Cypris ait nato : "Da flammam, Caelia friget."  
2 Natus ait : "Flammam possidet illa meas."

## DE PULICE

E\_121 v.1 Pulchra pulex tenerae penetrat dum membra puellae,  
2 clamque subito niveum dente premente femur,  
3 comprimitur digitis, et nigro clauditur Orco,  
4 sed dedit hoc illi distichon alma Venus :  
5 Mortuus hic jaceo, sed non hic mortuus : ardens  
6 dum premor albenti pollice, vivo pulex.

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_122 v.1 Dum legit ungue rosas et candida lilia dulcis  
2 Caelia, de lectis floribus exit Amor.  
3 Vidit ut hoc, subito excussa est terrore parumper ;  
4 mox, confisa suis viribus, haec loquitur :  
5 "Nondum nude, manes ? Nondum me linquis inermem ?  
6 Num nequeo fronti carpere sarta meo ? "  
7 "Quid cruciaris ? " ait deus ille. "Sopore quietus  
8 qui stabam accusor ? Quis vetat ista tibi ?  
9 Sive rosas mavis, seu mavis lilia, sume,  
10 sume impune, tuus talia fundit ager."  
11 His dictis, serto nectit florente capillos,  
12 et, spernens nudi numen Amoris, abit.  
13 Invidet ipse puer, potis et nec ferre, "Triumphus  
14 non erit unius : " dixit "adibo." Volat.  
15 Illius agglomerat se serto et crinibus, atque  
16 ambo summa homines impietate necant.

## DE CAELIAE FULGORE

E\_123 v.1 Fulgida sat lunae lampas, sat fulgida lampas  
2 stellarum, et lampas fulgida, Phoebe, tua.  
3 Fulgidior certe mea Caelia lampade lunae,  
4 lampade stellarum, et lampade, Phoebe, tua.

## DE SUA METAMORPHOSI

E\_124 v.1 Conspicua in specula dum staret Caelia, dixi  
2 luminibus dixi talia verba meis :  
3 dum licet, et vobis haec lucent signa, videte.  
4 O quantum est unam posse videre deam !  
5 Mirentur gemmas alii, mirentur et aurum ;  
6 cum gemmis, cum auro quid mihi ? Laetor, amo.  
7 Nunc habeo Croesi gazas, et Lydia quicquid  
8 fundit humus, quantas Crassus habebat opes.  
9 Ferte illuc animos, ferte illuc corda ; sub illa,  
10 non mecum, cupio vivere : numen habet.  
11 Haec dum jussa oculi expediunt, immobilis illic

12 factus ego, in lapidem vertor et addor humo.  
 13 Hinc data fama mihi ; nam turbae dicor eunti :  
 14 hic lapis, hic quondam mollis amator erat.

## AD AMOREM

E\_125 v.1 Quis tibi tot flammas, tot tela ministrat ? Amoeno  
 2 Caelia dat flammas pectore, tela oculis.

## DE CAELIA ET FLORE

E\_126 v.1 Dum pulchrum hamatis florem mea Caelia spinis  
 2 eligit, atque nova contegit arte comas,  
 3 flos ait : "Abruptus si sum semel arbore, grati  
 4 cum venient veris tempora, rursus ero ;  
 5 at tua lanificae mutilant si licia Parcae,  
 6 non redit ex atro pulvere frontis honor."  
 7 Illa refert : "Grati non florem veris eundem,  
 8 sed similem, video, tempora ferre solent.  
 9 Sic ego cum fuero tenues dilapsa per auras,  
 10 aequalem, non me, forte videbit humus."  
 11 Flos inquit : "Numquam si reddunt Fata juventam,  
 12 cur temnis quae dat munera dulcis amor ?  
 13 Sic numerasse dies, si funus sentiet atrum,  
 14 maerebit. Tradent saecula nulla parem."

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_127 v.1 Caelia sub querna captabat fronde quietem,  
 2 quam simul ut vidit currit amator Amor ;  
 3 dulciaque e labris dum carpit suavia, somnus  
 4 evolat, illa gemit, lumina pandit, ait :  
 5 "Quis me pressat ? " Amor, dulcedine captus, abire  
 6 dum nescit, capitur, fit nova praeda, dolet.  
 7 Donec det pretium, ceu pignus linquttur ala.  
 8 Nunc illa auratos ventilat ala comas,  
 9 et quoties mitis renovatur ab aere ventus,  
 10 ipse miser toties igne calente cremor.

## DE SUO AMORE AETERNO

E\_128 v.1 Tempore tecta ruunt praetoria, tempore vires,  
 2 tempore quaesitae debilitantur opes.  
 3 Tempore vernaes flores, argentea et arent  
 4 lilia, praefulgens tempore forma fluit.  
 5 Tempore montani lapides, et tempore virtus  
 6 occidit, et regum tempore deficit honos.  
 7 Tempore mutantur cineres in saxa, peritque  
 8 tempore fama, perit gloria, nomen abit.  
 9 Vertitur in senium tellus, et tempore montes  
 10 deficiunt, aequor tempore perdit aquas.  
 11 Tempore fit caelum variable, tempore Phoebus  
 12 luce caret, scriptum tempore marmor obit.  
 13 Tempore durities, decedit tempore livor,



14 at meus heu ! nullo tempore cessat amor.

DE CULICE

E\_129 v.1 Non sinit ipse culex placidos me carpere somnos.  
2 Credo equidem, in culicem se modo vertit Amor !

DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_130 v.1 Cum saeviret hiems, et Caelia posceret ignem,  
2 "Maximus est ignis femina," dicit Amor.  
3 Illa refert : "Nullum, nullum dat flamma calorem,  
4 sunt magis haec Scythica frigida membra nive.  
5 Tange manum. Quam friget ! " Amor : "Te tangere nolo,  
6 ne sis causa meae mortis, et igne cremar."

DE CAELIA ET PICTORE DIALOGUS

E\_131 v.1 Dic, cujus facies tam miro picta colore ?  
2 Haec facies miro picta colore tua.  
3 Dic, quare expressa est ita clauso lumine ? Parce ;  
4 non potui : totum flamma fuisset opus.

AD SOMNUM

E\_132 v.1 Non potui tunc, Somne, mori ? Da, Somne, quietem  
2 talem iterum. Brevis, o quam brevis illa fuit !  
3 Hoc saltem liceat, si gaudia vera negantur.  
4 Est aliquid, similis dum subit ossa sopor.  
5 Illae, illae tenebrae tribuerunt undique lucem :  
6 lux tribuit tenebras ; lux tenebrosa, vale.  
7 O quales, quales mammas, o qualia crura,  
8 quale femur tetigi ! Nil ego voce loquor.  
9 O pudet, et quae sunt dulcissima jure silentur.  
10 Cur sileam ? Totus fervet amore polus.  
11 Lassi ambo postquam requievimus, oscula labris  
12 mille illis data sunt, reddita mille meis.  
13 Somne, veni, sed qualis eras, cum talia vidi.  
14 En, satur et potus lumina claudio. Veni.

DE CUPIDINE ET SEIPSO

E\_133 v.1 Cum vidisset Amor mea corpora nuda nec ulla  
2 vulnera, "Num noster non ferit arcus ? " ait.  
3 "Num ventosa mihi sunt tela, nec illa cruorem  
4 educunt ? Nulla hic plaga cruoris adest."  
5 "Desine mirari," dixi, "tua tela sat urunt,  
6 sat feriunt ; alter me tamen urget Amor.  
7 Illa, illa aetherea quae fronte superbit, Amoris  
8 regnum habet, et sola vulnera luce facit."

## DE CAELIA ET SOMNO

E\_134 v.1 Vidit ut herboso prostrata in gramine membra  
 2 Somnus erae, prope fit, gestit adesse, refert,  
 3 "Grata haec (aspicio), formosa haec ; angor et uxor ;  
 4 irruerem, sed me cogit abire timor,  
 5 excita ne surgat, vinclisque coequare et sic  
 6 torquar. Hinc, timor, hinc effuge ! Vincit amor."  
 7 Haec dicens, ori vibrantibus oscula linguis  
 8 ingerit, aethereas carpit anhelus opes.  
 9 Non contentus adhuc, complexibus utitur artis,  
 10 at tamen, amplexus sensit ut illa graves,  
 11 desilit attonita, et socios vocat. Effluit illinc,  
 12 illinc alatus, ceu levis aura, Sopor,  
 13 et, procul existens, fatur : "Requiesce sub umbra.  
 14 Oppressi corpus qui tibi, Somnus eram.  
 15 Hoc tamen admoneo, vivas feliciter et nunc.  
 16 Cras quid eris, nescis. Gaudia carpe : fluunt.  
 17 Ut fugi ex oculis ego nunc exclusus apertis,  
 18 sic fugis ipsa. Mihi, si mihi credis, ama."

## AD CUPIDINEM

E\_135 v.1 Si tua castra sequor, cur me crudeliter uris ?  
 2 Parco tibi : nescit jura modumque puer.

## DE SEIPSO ET CAELIA

E\_136 v.1 Sum cinis in gelidis tumultis, sum vivus, amator ;  
 2 sum maestus, laetor ; sum sine voce, loquor ;  
 3 et locuples et pauper amo ; spe nutrior, exspes ;  
 4 et mando chartis carmina, mando notis ;  
 5 Terra mihi colitur, tumidis et mergor in undis ;  
 6 sum saturo et farto ventre, premorque fame ;  
 7 haurio fontis aquas, et anhelis faucibus haeret  
 8 sicca sitis ; video, lumine cassus, iter ;  
 9 hic moror, atque etiam hinc propero ; miser audio surdis  
 10 auribus ; includor carcere, liber eo ;  
 11 ora madent lacrimis, et rident ora ; profundos  
 12 corda cient gemitus, corda perussit amor.  
 13 Torqueor infelix ex omni parte, sed una,  
 14 una mihi semper, semper iniqua mihi.

## AD COROLLAS

E\_137 v.1 Ante fores madidae sic, sic pendete corollae ;  
 2 mane orto, imponet Caelia vos capiti.  
 3 At cum per canam cervicem fluxerit umor,  
 4 dicite : "Non roris, sed pluvia haec lacrimae."

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_138 v.1 Pelliciam induerat se frigans Caelia vestem.  
 2 Inquit Amor : "Calido me tege, quaeso, sinu.  
 3 Canet humus nivibus, stridens aquilonibus imber  
 4 saevit. Eo nudus. Respice : membra tremunt."  
 5 Illa : "Libens faciam, sed primum pone sagittas,  
 6 pone arcum." Abjecit protinus arma puer.  
 7 Illuc ingressus, subito se fovit amictu.  
 8 "Perpetuo hic utinam vita daretur !", ait.  
 9 Mox paulo tantum sensit sub tegmine frigus,  
 10 ad Paphon ut celeri fugerit inde pede.

## FLOS

E\_139 v.1 Flos ego qui venio sum nuntius. Alloquor : hora  
 2 fulgorem una meum praeripit, una tuum.

## DE SEIPSO ET CUPIDINE DIALOGUS

E\_140 v.1 Tu, solitus quondam caelo gaudere nitenti,  
 2 quid facis hic nudus ? Nudus amator ; amo.  
 3 Frigora non brumae sentis ? Ego torreo. Ala  
 4 cur non ex umeris pendet ? Adusta fuit.  
 5 Non arcum pictum, pictam non cerno pharetram.  
 6 Non mirum : majus tu quoque vulnus habes.  
 7 Quis tibi cor miserum, quis sensus abstulit imos,  
 8 fregit et ingenii florida dona tui ?  
 9 Ergo sumus tristes ambo ? Sumus ambo sub uno  
 10 vinclo ? Unum vinclum pressat utrumque, vides.  
 11 Credebam ipse meum te cor fixisse sagittis.  
 12 Falsus eras. Quemnam fixit inermis Amor ?  
 13 Cum tibi visa fuit quae sole nitentior exstat  
 14 Caelia, in illius pectore clausus eram.

## DE CAELIA NAVIGANTE

E\_141 v.1 Navigat aurata dum sollers Caelia navi,  
 2 Neptuni et laeto lumine regna videt,  
 3 cantabat (memini), stans celsa in puppe facesque  
 4 iniciens undis, talia pulcher Amor :  
 5 "Ussimus ambo polos, nunc urimus aequora, flexo  
 6 ipse arcu, haec oculis et miser urar ego ! "

## DE PICTORE ET CUPIDINE

E\_142 v.1 Pingeret Idalium in tabulis cum pictor Amorem,  
 2 pictori inquit Amor : "Me male pingis, iners.  
 3 Non sum pennatus, pharetram nec gesto nec arma,  
 4 nec manus accensas ventilat igne faces.  
 5 Pallentem et maestum pingas, si pingere me vis  
 6 ora gemant, madeant fletibus ora meis."

7 Cui pictor : "Quid aves ita pingier ? " - "Amplius," inquit,  
8 "non sum Amor ; illa, illa est Caelia pulcher Amor."

## DE SEIPSO ET CAELIA

E\_143 v.1 Quaerebat lucem exstincto dare Caelia lychno.  
2 "Quid quaeris lumen ? " dico ego, "Lumen habes ;  
3 sole magis fulges." Ait illa vaferrima : "Quod nunc  
4 quaero mihi potis es tradere, namque cales."  
5 "Ecce, adsum ;" refer "immensam de corde favillam  
6 excute." Respondet : "Tu sine corde manes."

## DE CAELIAE NIVE

E\_144 v.1 Transibam, frigans. Vidit me Caelia, risit,  
2 et mea compressam jecit in ora nivem.  
3 Non nix illa fuit, rapido sed qualis ab Euro  
4 arentes calamos urere flamma solet.  
5 Tunc arsi infelix. Sunt haec miracula ? Possunt  
6 in media fieri flammea tela nive ?  
7 Credo equidem, densas potuisset adurere nubes,  
8 cumque pruiniferis aequora fluminibus.  
9 Pone arcum ; pudeat te flammis ferre Cupido.  
10 Hoc numen verum, hoc : corda cremare gelu.

## AD CAELIAM

E\_145 v.1 Fervet aquis aequor, ventis impellitur aer,  
2 et furit accensus Sicelis Aetna rogis.  
3 Heu ! simul haec nostro mala sunt in corpore : fletus  
4 fundit aquas, gemitus flamina, corque faces.

## DE SEIPSO DIALOGUS

E\_146 v.1 Cur gemis ? Uror amans. Urit quae flamma ? Puella  
2 sit quaevis, animos abstulit una meos.  
3 Dic crines. Flavos. Oculos. Nigrore coruscant.  
4 Cervicem. Mira est. Labra. Corallina habet.  
5 Dic faciem. Venerem venatricemque Dianam,  
6 posset et aequoreas exsuperare deas.  
7 Quanto haec ingenio ? Caelesti. Pectore quanto ?  
8 Procero. Atque umeris ? Ampla. Benigna ? Nihil.  
9 Albicat ? Illa nivem et candore coagula lactis  
10 vincit, natus tingit et ora rubor.  
11 Pinguis an exilis ? Manet inter utrumque. Mamillae ?  
12 Turgidulae, quibus o basia mille darem  
13 nec satiatus adhuc, illic me perdere vellem.  
14 Contingant, precor, o talia fata mihi !  
15 Cetera dic. Novit quis cetera ? Vestis opacat,  
16 nec fas illa loqui, quae meliora puto.  
17 Texere scit ? Sollers tela superatur Arachne,  
18 Penelope fuso, provida Pallas acu.

19 Scit Musam et Phoebi citharam ? Cum cantat habetque  
 20 plectra manu, dici Calliopea potest.  
 21 Nunc nosco. Illa potens est Caelia. Desipis, amens !  
 22 Desipio ? Hoc nosco : cor necat illa meum.

## DE IOVE

E\_147 v.1 Fit cycnus, taurus, satyrus, fit Juppiter aurum,  
 2 ob Ledam, Europen, Antiopen, Danaen.

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_148 v.1 Caelia candentes ferro cum raderet ungues,  
 2 infecit laeso pollice sanguis humum.  
 3 Hoc ut vidit Amor, "Nolito huic fidere", clamat ;  
 4 "Impegit (vidi) vulnera saeva tibi."  
 5 Nondum finierat voces sua lingua, per auras  
 6 cum volat, et dominam fit prope, et haeret humo.  
 7 Clam, clam diffusis intingit spicula guttis,  
 8 et dicit, "Nunc sum fortis et asper ego."  
 9 Inde ubi se niveis adduxit in aera pennis,  
 10 villarum et summo in culmine sedit atrox,  
 11 incepit maria ac terras exscindere, tuta  
 12 nec fuit ex illis ictibus aula Jovis.

## DE SEIPSO ET SPECULO

E\_149 v.1 Cernebar vitreo in speculo, et mecum ipse querebar  
 2 quod tam praecipiti curreret hora pede.  
 3 Ingemui, et, vitae memorans dispendia, flevi,  
 4 et dixi, "Evadam, qui modo cerno, nihil.  
 5 Non sum sicut heri, paulatim mutor, et, anni  
 6 dum serpunt, faciem ruga senilis arat."  
 7 Haec ego dum surdas nequicquam vanus ad auras  
 8 proferrem, speculi dixit imago mihi,  
 9 "Quod nihil appellas requies tranquilla malorum.  
 10 Certe illud peior mors tibi morte manet,  
 11 nam stantis, dum fles, aetatis labitur umbra,  
 12 et quae non captas gaudia, perdis inops.  
 13 Incipe, sic sapias ; dubium nec differ in annum.  
 14 Si potes optati munus amoris, ama,  
 15 ut moriens dicas, ego vixi. Nubila terge ;  
 16 sic tibi perpetui tempora veris erunt."

## DE CAELIA ET SEIPSO DIALOGUS

E\_150 v.1 Quid spectas ? Specto tua lumina. Quid tibi nostra  
 2 lumina vis ? Nostrum surripuere animum.  
 3 Miror. Vera loquor. Radios jaculantur et ignes,  
 4 perque mea accedunt lumina, abitque animus.

## DE SEIPSO ET AURA

E\_151 v.1 Cantabam in silvis, "Aura o Zephyraea, calores  
 2 excute ab attritis artibus." Aura venit.  
 3 "Quid me poscis ? " ait. "Non sunt mea flamina tanti.  
 4 Aspice, quam parvo murmure parva feror !  
 5 Det licet afflatus Boreas, det Nereus undas,  
 6 non possem ardores attenuare tuos."  
 7 Fontano mulcens ego tunc incendia fletu,  
 8 dixi, "Infelici quis mihi tradet opem ?  
 9 Haec, roseo spirans cursu, sic asserit ignes.  
 10 Si vult, exstinguet Caelia tota gelu est."

## DE CAELIA CONVALESCENTE

E\_152 v.1 Cum mea ferventi langueret febre puella,  
 2 purpureo et starent candida membra toro,  
 3 induit invisum Mors lurida protinus ensem,  
 4 et petit infestis aurea tecta rogis.  
 5 Irruit, at, postquam vidit sine labe papillas,  
 6 et quales profert flava Minerva oculos,  
 7 obrigit retroque dedit vestigia, et inquit,  
 8 "Non haec Lethaeam digna subire ratem."  
 9 Sic fata, infernas pudibunda recessit ad umbras,  
 10 ausaque sic nigro verba tonare Jovi :  
 11 "Quaecumque aethereo sub regno regna morantur  
 12 sunt nostra ; una, precor, Caelia morte vacet."  
 13 Annuit hoc Pluto. Facta est dea, et ilico cedunt  
 14 nubila, et intonsus dat quoque Phoebus opem.  
 15 Sperandum est, postquam Mors importuna pepercit,  
 16 facta dea, ut nostras audiat illa preces.

## AD CAELIAM

E\_153 v.1 Mors mihi dat vitam, mihi mortem vita, sed omni  
 2 vita mihi pejor morte : dolenter amo.

## DE SEIPSO ET CUPIDINE

E\_154 v.1 Postquam picta fuit facies mea, protinus arcum  
 2 sumpsit Amor, pictam contudit et faciem.  
 3 "Quid pictos," inquam, "laceras, puer invide, vultus ?  
 4 An non sat telis pectora nostra tuis ? "  
 5 "In te nullus", ait, "locus est sine vulnere. Vulnus  
 6 addere vulneribus quid nisi lasso manus ? "  
 7 "Te lassas", dixi, "magis hic, nam spicula perdis  
 8 et flammis : caret haec picta tabella anima."  
 9 "Hoc verum," inquit, "habet praeclara at Caelia numen,  
 10 aspectu ut caleant omnia picta suo."

## DE CUPIDINE

E\_155 v.1 Cum puerum Veneris vulgus spectaret inermem,

2 vulgus ait : "Cur es factus inermis, Amor ? "  
 3 Respondit genetrix : "Pro certis ecce ! Sagittis  
 4 utitur illius pectore, et astra ferit."

## DE CAELIAE RETICULO

E\_156 v.1 Reticulum ex auro intextum rutilante venustam  
 2 vestierat frontem vestieratque comas.  
 3 Quod cum vidit Amor, dixit, "Flammatur amore  
 4 Caelia, nam gignunt aurea fila faces."  
 5 "Non hoc," Cypris ait, "nihil est ut carius auro,  
 6 sic illa in toto carius orbe nihil.  
 7 Sed, miror, quare, quare illud vulnerat aurum ?  
 8 Ut video, longa cum face jacit."  
 9 "Falleris," inquit Amor "non aurum vulnus, at illi,  
 10 illi oculi faciunt. Aspice ! Saxa terunt ! "

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_157 v.1 Forte videns natum Veneris per prata vagantem  
 2 Caelia fronte placens, Caelia crine placens,  
 3 "Pone arcum et certemus," ait, "pone arma facesque,  
 4 hic tibi si mecum proelia inire libet."  
 5 Illi dicit Amor, "Si pono haec arma, quid in te  
 6 nudus agam ? Pugnax tu magis atque potens.  
 7 At si bella placent, et stat tibi tanta libido  
 8 certandi, tela hac lege repono mea,  
 9 ut claudas oculos (oculi fulgore perurunt),  
 10 ut frenes linguam (lingua diserta necat)."  
 11 "Nil horum impedit" pulchra "haec certamina," fatur  
 12 Caelia, "claudio libens lumina, lingua silet."  
 13 Non exspectat Amor, sed in aere tollitur alis  
 14 et fugit, exclamans, "Sat tua forma potest ! "

## AD CAELIAM

E\_158 v.1 Si deus est Amor, et pacem meditatur, et optat  
 2 quae bona sunt, cur non hunc celebrabo deum ?

## DE VENERE ET CUPIDINE

E\_159 v.1 Forte sub umbrosa requiescens arbore Cypris  
 2 in gremio puerum foverat aligerum.  
 3 Cypridis abscedit gremio puer aliger ; illa  
 4 de somno surgens quaerit anhela deum.  
 5 Quaerenti exclamat genetrici vulgus, "Amorem,  
 6 quem quaeris, splendens Caelia surripuit."

## AD CAELIAM

E\_160 v.1 Ut scirem quanto sim tecum junctus amore  
 2 atque fide, misi cor tibi. Non rediit.

3 Hospitium praedulce tuum. Non amplius optat  
 4 hos artus ; gremio gaudet adesse tuo.  
 5 Post, gemitum ejeci, qui cordis nuntius esset.  
 6 Illum etiam, est quamquam saepe reversus, habes.  
 7 Nescit ubi sit cor, nec novit dicere ; solum  
 8 spirat, et exusti pectoris auget onus.  
 9 Illi saepe loquor, "Quid agit mea Caelia ? Quid cor ? "  
 10 Nil referens, linquit corpus inane, fugit.  
 11 At nunc mitto animam, quae si non ipsa redibit,  
 12 protinus infelix hac tumulabor humo.

## AD EANDEM

E\_161 v.1 Quid speculum spectas ? Vis verum nosse colorem,  
 2 quantaque sit vultus gratia viva tui ?  
 3 Aspicias cum mitto tibi mea saucia corda :  
 4 illic te docta cuspidem pinxit Amor.

## DE CAELIA ET LIBELLO

E\_162 v.1 Cum legeret scriptas in parvo codice flammam  
 2 Caelia, "Mentitur qualia scriptor ! " ait.  
 3 "Non sic exardet, nec sum tam pulchra decensque,  
 4 ut fatur ; sunt haec cortice vana magis ! "  
 5 Tunc codex, chartis qui volvebatur apertis,  
 6 ter voluit, nequirit voce referre sonos.  
 7 Hoc fecit : vacuo misit suspiria caelo.  
 8 Et mecum in cineres, igne crematus, abit.

## DE CAELIA ET CUPIDINE

E\_163 v.1 Vidit Amor dominam. Stupuit. Cecidere sagittae.  
 2 Armavit sese Caelia. Fugit Amor.

## DE SEIPSO ET FLORE DIALOGUS

E\_164 v.1 Bellule flos, salve. Quis te, flos bellule, misit ?  
 2 Illa tibi Aetnaeos quae jaculata faces.  
 3 Flaccescis, cerno. Sic vultus flaccet amantis ;  
 4 maerenti sic stat, sic stat in ore color.  
 5 I nunc ad dominam retroque revertere. Non id  
 6 significas, quamvis sit mihi nulla quies ;  
 7 sed, quoniam viridem non servas usque decorem,  
 8 quam cito crudelis deperit illa, doces.

## DE VENERE ET DIANA

E\_165 v.1 Sumeret a labiis cum basia Cypris Adonis,  
 2 "Lasciva es", dixit casta Diana, "nimis."  
 3 "Quod sum", Cypris ait, "fateor ; lascivior, hoc tu  
 4 clam facis : Hippolytus tecum in amore manet."



## DE CAELIAE CANTU

E\_166 v.1 Gaudebam, audivi dominam cum voce canentem,  
 2 gaudebam. Qualis tunc mihi, qualis erat !  
 3 Ex umeris nullo fluitabant ordine crines,  
 4 et nulla nitidus stabat ab arte color.  
 5 Tunc mage compta mihi, mage tunc formosa decensque  
 6 visa fuit ; poterat saxa movere sono.  
 7 Sed, quia nulla diu firmantur gaudia, volvit  
 8 forte oculos, videor, visa repente dolet.  
 9 Lingua ciens cantum silet, et sua plectra recondit.  
 10 Turbatur, misero multa minatur, abit.  
 11 Deseror infelix, avulso corde, cadoque,  
 12 acclinans oculos mortuus. Illa redit.  
 13 Ilico ut aspexit consumpti corporis ossa,  
 14 colligit et nullo funere condit humi.  
 15 Impia, nil maerens, haud plenum carmen ibidem  
 16 inscripsit, dulci hic voce peremptus amans.

## AD LECTOREM

E\_167 v.1 Si tibi non placeo, placeo mihi. Lector, abibis.  
 2 Hoc satis, auctori si sua scripta placent.

## DE AMORE

E\_168 v.1 In tabula primus tenerum qui pinxit Amorem,  
 2 ingenio et docta non fuit ille manu.  
 3 Non puer est qui Pana potest superare fretumque  
 4 qui domat et terras, aera, quique polos.  
 5 Non caecum dicam : pungentibus utitur armis,  
 6 et quicumque ferit, num sine luce ferit ?  
 7 Non findit latum pernicibus aethera pennis ;  
 8 sic numquam a nostro corpore fixus abit.  
 9 Non mihi nudus erit : spoliat qui membra deorum  
 10 quique hominum, numquid veste carebit inops ?  
 11 Dum loquor id, ridens inquit mihi Caelia, "Amorem  
 12 pingere vis ? Vultus aspice ! Pingere meos."

## DE SEIPSO DIALOGUS

E\_169 v.1 Dic, cur in vultu sic palles ? Sanguis ad ima  
 2 corda fluit, quae sunt paene cremata rogis.  
 3 Cur defles ? Magnos ut lapsa hos unda calores  
 4 molliat ; in casso corpore flamma furit.  
 5 Cur gemis ? Ambesos ut amabile frigus in artus  
 6 currat, et insanas temperet aura faces.  
 7 Cur quereris solus ? Solus comburor ab igne.  
 8 Qui non credit, amet, nunc ego sicut amo.  
 9 Cur non in mutos cineres converteris ? Ingens,  
 10 ingens id dominae non sinit esse gelu.

## AD CAELIAM

E\_170 v.1 Ni lacrimae fluerent, in flammam totus abirem,  
 2 et, ni flamma foret, diffluerem lacrimis.  
 3 Sic servor lacrimis, sic flamma servor. Adurar  
 4 aut lacrimar, vitam praebet utrumque obeam.

## DE CAELIA ET BOREA

E\_171 v.1 Ut Boreas ussit glaciali frigore flores,  
 2 ausa est in Boream Caelia probra loqui.  
 3 "Audes, nympa, deum petulante lacessere lingua ? "  
 4 respondit Boreas. "Num tibi notus ego ?  
 5 Te rapiam levibus sublimem in nubila pennis,  
 6 et jungere meo praeda coacta toro."  
 7 Substitit illa ferox, ut saxum in montibus altis  
 8 quod ruere e summa rupe procella nequit.  
 9 Non potis ille frui quod amat. Dat basia labris.  
 10 Nunc magis illa gelu labra notata placent.  
 11 Denique tanta fuit dulcedo et tanta voluptas,  
 12 arserit amisso ut frigore ventus amans.

## AD CAELIAM

E\_172 v.1 Dum laetor vivo, morior dum tristor. Abibo  
 2 laetus ego, postquam cura perire facit.

## AD EANDEM

E\_173 v.1 Quum sumis citharam et diffundis in aera cantum,  
 2 saxa avidis pendent auribus, aura silet.  
 3 Cum solvis crines vento, Dictynna videris,  
 4 in silvis quando caede cruentat apros.  
 5 Cum rides, laeti discerpunt nubila venti.  
 6 Cum loqueris, fulgent sidera, vernat humus.  
 7 Cum motas oculos, quid non Amor impius audet ?  
 8 Audet et irato praeripere arma Jovi.  
 9 Cum graderis, te tota cohors miratur euntem,  
 10 tota cohors passus laudat amatque tuos.  
 11 Sed, quia maturae non carpis poma juventae,  
 12 haec in tam pulchro corpore sunt lacrimae.

## AD CAELIAM

E\_174 v.1 Cur immortalem te reris ? Pone tumentes  
 2 fastus. Mortalis fis pietate carens.

## DE IOVE ET IUNONE

E\_175 v.1 Juppiter, insani dum saeva Cupidinis arma  
 2 et nequit accensas pertolerare faces,  
 3 "Jane biceps, caeli custos, mihi limina pande,  
 4 pande, nec hoc umquam sentiat uxor ! " ait.  
 5 Sensit ut hoc uxor, turbatur, et undique fluctus  
 6 ore vomit, liquida fit magis atra pice.  
 7 Irruere in magnum magna cum voce Tonantem  
 8 audet, et illius detrahit arma manu.  
 9 Clavigerum terret Janum, lustratque per omnes  
 10 terras, si videat quo vir in igne calet.  
 11 Nunc huc, nunc illuc dum torvo lumine se fert,  
 12 aspectu patuit Caelia pulchra suo.  
 13 Quam simul ut vidit, caecas exarsit in iras,  
 14 atque inquit, "Senti quid mea regna queunt".  
 15 Dum rotat et piceo contorquet ab aethere fulmen,  
 16 illud in haec durus pectora flexit Amor.

## DE CAELIA ET AMORE

E\_176 v.1 Vidit ut aethereos oculos Amor illius, inquit,  
 2 inquit Amor, "Nulla hac pulchra puella magis."  
 3 Sensit ut immites animos Amor illius, inquit,  
 4 inquit Amor, "Nulla hac saeva puella magis."

## DE SEIPSO

E\_177 v.1 Dum canerem et citharam pulsarem pectine solus,  
 2 solus apud dominae, nocte silente, fores,  
 3 audivi, fateor, vocem. Sic dixit : "Amator,  
 4 stultus es. In ventos irrita verba fluunt."  
 5 Respondi nil esse, "Loquor, quodcumque sed aegrum  
 6 saepe juvat poenas promere voce suas.  
 7 Haec mihi, non aliis refero. Sint sidera testes,  
 8 et, si surda manent sidera, saxa precor,  
 9 et ventos, nubesque atras, et limina, quae me  
 10 excludunt : sunt haec verba doloris ; amo."

## DE CUPIDINE QUERENTE

E\_178 v.1 Hic arma atque faces et myrtea sarta rosasque  
 2 linquo, quibus quondam gloria parta fuit.  
 3 Linquo sales ludosque meos, atque omnia pulchra  
 4 quaeque Charis docuit, quaeque venusta parens.  
 5 Exuor hic levibus pennis et lumine claro.  
 6 Externas (o sors !) cogor adire vias.  
 7 Sed vos hoc unum moneo (parete monenti ;  
 8 certa loquor, sunt haec certa probata mihi) :  
 9 Evitate malum. Potuit quae laedere divos,  
 10 vos laedet. Quando ridet, abeste ! Necat.

## DE SEIPSO

E\_179 v.1 Fles, rides, gaudes, maeres, requiescis, oberras.  
2 Non mirum : vita est talis amantis amo.

## AD AMICOS

E\_180 v.1 Exoriens postquam decoravit Caelia terram,  
2 vidit et erecto lumine tecta deum,  
3 cor dedit huic Pallas, Venus ora, Diana pharetram  
4 atque arcum, doctam pulcher Apollo lyram,  
5 urentes oculos Erato, linguamque disertus  
6 Mercurius, Juno bracchia, Mars animos,  
7 Juppiter incessum, flavos Aurora capillos,  
8 ornatum Charites, spicula blandus Amor.  
9 Omnia de magnis dis possidet, omnia, amici.  
10 Unde, unde huic tanta est, dicite, saevitia ?

## AD CAELIAM

E\_181 v.1 Post obitum non marmor erit, non atra sepulcrum  
2 terra mihi ; in membris, diva, jacebo tuis.

## AD CAELIAM

E\_182 v.1 Sim procul a risu, nec cernam cornua Lunae,  
2 nec Phoebi auricomum luce nitente caput,  
3 me caeca exculcet fortuna, et nubila caelum  
4 condant, hanc ingens obruat unda ratem,  
5 praetendat cupidus fraudes et crimina livor,  
6 deliteat tenebris fama decusque meum,  
7 exsul ab his abigar terris, sim segnis inersque,  
8 et videam ante oculos funera nigra meos,  
9 nugata est quicquid mea Musa feratur in ignes,  
10 dummodo me spectes, Caelia, laetus ero.

## DE CAELIA

E\_183 v.1 Forte meam tangens dextram, sic Caelia dixit :  
2 "Mentiris, nec amas ; algida dextra tua est."  
3 "Verus amans," inquam, "facibus comburitur intus."  
4 En, calet in tacito corde sepulta Venus.  
5 Respice pallorem. Sum pulvis et umbra. Recessit  
6 spiritus, inque meis ossibus Aetna fuit.  
7 Tellurem vidi densa canere pruina,  
8 quae tamen ex ima parte perusta fuit.  
9 Assimilor silici quae caecos integit ignes,  
10 et riget, ob canas frigida facta nives ;  
11 et fluerem in cineres et in auras ustus abirem,  
12 sed tua me vivum bruma geluque tenet."

## CAELIAE STATUA

E\_184 v.1 Qui gelida sub rupe fui lapis, ora venusta  
 2 nunc refero et vultus, diva puella, tuos.  
 3 Sculptori debes, sed debes plurima vati.  
 4 Hic polit, ille canit. Quod canit, illud habes.  
 5 Ut nosti, lapidem teret hora fugacior Euro,  
 6 at bene quod canitur, non teret hora fugax.  
 7 Hic sum muta silex, at carmine vulgor et ore  
 8 verba loquor, toto cernor in orbe nitens.  
 9 Non adsit cantus, remanebit vita calorque  
 10 vatis, ero vatis viva calore tui.

## DE SEIPSO

E\_185 v.1 Ad fontem dum ploro, mihi fons inquit, "Ut ardor  
 2 sedetur, gelidi suscipe fontis aquas."  
 3 "Flumina oborta meis sunt," inquam, "fletibus, ignes  
 4 non sedant ; posito ut sulfure taeda cremor."  
 5 Sic ego, sed subitis arsit fons ignibus : ignes  
 6 e nostro ingentes pectore jecit Amor.

## AD CAELIAM

E\_186 v.1 Saepe duces volui et reges et proelia versu  
 2 dicere, sed vires debilitavit amor.  
 3 Ut te conspexi, tanto fulgore nitentem,  
 4 "ite procul, caedes ! " dixi ego. "Bella, procul !  
 5 Cantetur numeris, cantetur Caelia plectro."  
 6 Sed cum tentavi dicere, nullus eram.  
 7 In fletus abiit maestas vox, plena querelae,  
 8 et tantum poenas promere cura fuit.

## DE CAELIA

E\_187 v.1 Exiret dominae dum pulchro pectore flamma,  
 2 ureret et silices et freta, Cypris ait,  
 3 "Caelia si friget, cur nunc ita conicit ignes,  
 4 ejus et aspectu terra polusque calet ? "  
 5 Sic pharetratus Amor matri respondit : "Amantis  
 6 illinc cor flammis, non sua forma jacit."

## AD CAELIAE STATUAM

E\_188 v.1 Artificis studiosa manus dedit omnia, sed non  
 2 mollescis digitis, dulcis imago, meis.  
 3 Tango, dura manes. Non dura haec marmora, tactu  
 4 mollesco ; est durus Caelia dura lapis.

## DE ZEPHYRO ET CAELIA

E\_189 v.1 Irroraret agros Zephyrus cum flatibus, et ver  
 2 duceret et flores, Caelia visa fuit.  
 3 Hac visa, dimittit agros, dimittit honores  
 4 veris, dimittit munera floris amat.  
 5 Factus amans, coepit dulces effundere flatus,  
 6 et flando optatum coepit adire femur.  
 7 Protinus, incluso sic intus flamine, venter  
 8 intumuit, facilis sed prope partus erat.  
 9 Credite, mira loquor : fulgenti lumine campos,  
 10 ver risu, flores vocibus haec peperit.

## AD EANDEM

E\_190 v.1 Marmor erat pulchrae qui viderat ora Medusae,  
 2 viderit at si quis te, dea, dic, quid erit ?  
 3 Durum marmor erit, stabitque in marmore duro  
 4 spes, maeror, gemitus, poena, dolor, lacrimae.

## ROSA

E\_191 v.1 Candida nuper eram, nunc sum rosa rubra. Colorem  
 2 hunc dat purpureis Caelia pulchra genis.

## DE SUO FLETU

E\_192 v.1 Servat aquas limosa palus, mitisque redundat  
 2 rivus aquis, et aquas, ut patet, aequor habet ;  
 3 fons diffundit aquas, et aquas dat flumen, aquasque  
 4 stagna tenent, et aquis enitet ipse lacus.  
 5 Lumina sed lacrimis faciunt haec plena paludem,  
 6 rivum, aequor, fontem, flumina, stagna, lacum.

## AD GRYLLOM

E\_193 v.1 Mortue grylle, jaces, agrestis Musa lyraeque  
 2 naturale decus, mortue grylle, jaces.  
 3 Quid faciam posthac ? Nostri solamen amoris,  
 4 solamen somni, mortue grylle, jaces.  
 5 Excutiens alas pedibus, dic, grylle, Camenas,  
 6 et mulce optatis pectora fixa modis !  
 7 Hei mihi ! Non audis. Non dices amplius ignes,  
 8 Grylle, meos. Tecum Terpsichorea jacet.  
 9 Ex lacrimis rorem tibi fundo, grylle, cremoque  
 10 hanc caveam, inque tuos diffluit usta rogos.  
 11 Grylle, vale. Hac parva flores nascantur in urna,  
 12 terraque sit cineri semper amoena tuo.

## DE SUO VOTO

E\_194 v.1 Non sequor obliquo saevos livore tyrannos,

2 non cupio in volucris stare superbus equo.  
 3 Non posco ut nitidis surgant mihi tecta columnis,  
 4 pulcher et in medio sit mihi rure locus.  
 5 Non populi laudes, non plausus quaero theatri,  
 6 non aurum aut comites militiaeque decus,  
 7 non sacros fontes, non arva obsepta salictis,  
 8 quicquid et ignavum denique vulgus amat.  
 9 Dum valeo, hoc cupio : teneris in amoribus esse,  
 10 haerere et thalamis, diva puella, tuis.

## DE CAELIA

E\_195 v.1 Veris honor flos est, ver terrae, sidera caeli.  
 2 Et caeli et terrae et Caelia veris honor.

## AD CAELIAM

E\_196 v.1 In cinerem fuero si post mea fata solutus,  
 2 ille tua excussus curret in ora cinis.  
 3 Hic repetet caelum si spiritus, arduus illinc  
 4 et flammam mittet, mittet et arma necis.  
 5 Si non legitimae compleverim munera vitae,  
 6 errabo ante tuas ossea larva domos.  
 7 Corporeos iterum si commutabor in artus,  
 8 corpus habes corpus mole gravabo tuum.  
 9 Aere si pendam poenas, levis ibo, daboque  
 10 verbera. Si mergar flumine, flumen eris.  
 11 Ad nubes iero, mittam de nubibus imbres.  
 12 Ignibus advolvar, te ferus igne petam.  
 13 Quicquid ero moriens, tecum crudelia, tecum  
 14 bella geram. Flagris flebis inulta meis.  
 15 Si nihil evadam, nihil hoc torquebere crede,  
 16 crede mihi, vultus persequar usque tuos.  
 17 Conabor Stygiis exire paludibus, etsi  
 18 Parca negat ; rumpet Tartara laesus amor.  
 19 Nam tibi cum nequeam, dum vivo, reddere poenas,  
 20 extinctus tanti vulneris ultor ero.

## DE VIATORE ET SEIPSO DIALOGUS

E\_197 v.1 Quis jacet hic ? Veneris jacet hic pulcherrima proles,  
 2 quam stravit forti Caelia pulchra manu.  
 3 Si deus hic, quare falcato decidit ense  
 4 mortis, et in vili sic tumulatur humo ?  
 5 A cupido haec illi vis est generosa Tonante  
 6 ut valeat terrae et bella movere polo.  
 7 Unde hoc ? Illa dea est cunctis speciosior astris.  
 8 Hac mundus quid nunc (aspice !) majus habet ?  
 9 Non hic armatus, pharetra succinctus et arcu ?  
 10 Quid tum ? Succubuit : fortior illa fuit.  
 11 Aurea non mater flammam, non vitricus hastam  
 12 exhibuit ? Contra bellica Pallas erat.  
 13 Aegida formosis mammis scutumque lacerto  
 14 aptarat, dextrae tela trisulca patris.

15 Non aderant Musae comites ? Non Phoebus et Euhan ?  
 16 Hic puer, illa ingens ; hic rudis, illa sagax.  
 17 Ergo quis extincto posthac succedet Amori ?  
 18 Huic pharetra, huic jaculum, huic flexilis arcus erit ?  
 19 Imperium molle hoc, illa est castissima et Euro  
 20 saevior. Heu ! cui non funera ferret atrox ?  
 21 In turbam rutili globulos deflecteret auri,  
 22 ipsa sibi plumbi frigida dona daret.  
 23 En, nunc absque arcu et facibus domat omnia victrix.  
 24 Quod si pennatus regna teneret Amor ?

## DE SEIPSO

E\_198 v.1 Si nitet auratis mea candida virgo capillis,  
 2 et pulchro aequoreas vincit honore deas,  
 3 effutire leves cur demens cogor amores,  
 4 ferreque ut irrasus tam mala verba puer ?  
 5 Cur turbor toties, et inania murmura jacto ?  
 6 Cur toties illuc irrequietus eo ?  
 7 Heu, heu, quid feci ? Quo vertor ? Numina caelo  
 8 aut nulla, aut certe non mala nostra vident.  
 9 Non potui esse silex, aut aequoris unda, vel alga,  
 10 sive cinis ? Ferrem non ego tanta miser.  
 11 Hoc pejus, promo insanas ex pectore voces.  
 12 Nil prosunt voces, et tamen usque loquor.  
 13 Heu, quid agam melius ? Lanient haec dicta procellae,  
 14 et, si quid chartis illino, flamma voret.  
 15 Praeteriit, quae danda fuit virtutibus, aetas.  
 16 Quicquid ago video ventus et unda rapit.  
 17 Ista loqui nollem, niger obtegit omnia pulvis.  
 18 Obtegar, an vivam ? Vivere poena mihi.  
 19 Non est viventi nisi taetri funeris umbra,  
 20 si quicquam ingrati vita laboris habet.  
 21 Vivite, vos alii, quibus omnia jugiter affert  
 22 laetus amor. Gladium tu mea sume manus.  
 23 Ne trepida. Rapidas cum spiritus ibit in auras,  
 24 clamabit, "Mortis Caelia causa fuit."

## INCERTUS AUCTOR

E\_199 v.1 Factus Amor mitis transfixo clausit amanti  
 2 lumina, collegit corporis ossa Charis,  
 3 Tradidit inferias pia Cypris, carmen in ipsa  
 4 urna Erato scripsit. Tu lege, quisquis amas.  
 5 Non hic corpus adest, non hic cinis ater, at una  
 6 flamma calens. Cremat haec. Flamma. Viator, abi.